756051

Ignatii Sooligm

L. Joannes Forcatos Amico suo Fran-
cisco Ada dono dedit Schigoni 1771.

Principatus Csetneki

Dominia.

1ma Kis-Martonienſe
2da Szarv-kőiense
3tia Krakowiense
4ta Lánzsiense
5ta Lákompokiense
6ta Lékainſe
7ma Kereszturiense
8va Imziense
9na Kaboldiense
10ma Fekete-váriense
11ma Kőpcsénieuſe
12da Boldog-Aſszonyieuſe
13tia Kapſtoriense
14ta Szanct Nicolai
15ta Alsó-Lendvenſe
16ta Kapornáriense
17ma Dombó-váriense
18va Szinhelyieuſe
19na Dobrokőzieuſe
20ma Koppanyieuſe
21ma Mozzieuſe
22da Csobáckieuſe
23tia Keſzthelieuſe
24ta Leveſe
25ta Veglesiuſe
26ta Szadváriuſe
27ma Berettkeuſe
28va Szalatieuſe
29na Bitzeieuſe
30ma Szterenyieuſe
31ma Szanct Laurenty
32da Mikolaieuſe
33tia Bujakieuſe

EPISTOLA RESPONSORIA.

EPISTOLA
RESPONSORIA.

Országos Kék... Központ
Nem adható ki!
budapesti raktárából

GEORGII PRAY

SOCIETATIS JESU

EPISTOLA RESPONSORIA

AD

DISSERTATIONEM APOLOGETICAM

JOSEPHI INNOCENTII DESERICII

CLERICI REGULARIS MATRIS DEI

SCHOLARUM PIARUM

AUCTORIS COMMENTARIORUM DE INITIIS,

AC MAJORIBUS HUNGARORUM.

2627.

TYRNAVIÆ,

TYPIS COLLEGII ACADEMICI SOCIETAT. JESU,

ANNO MDCCLXII.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

JOSEPHO INNOCENTIO DESERICIO

Clerico Regulari Matris DEI

Scholarum Piarum,

GEORGIUS PRAY

SOCIETATIS JESU S. P. D.

DIssertationem tuam apologeticam, quam ineunte Februario abs te apparari Vesprimio ad me perscriptum fuit, XXX. Augusti accepi, plane tum, cum forte fortuna Pestinum Buda delatus, ad virum e Societate mea, mihique multis titulis amicissimum officii causa inviserem. Non potui mihi temperare, quin in platea, quæ ad familiarem meum ducebat, inspicerem sæpicule, quid

adversum meos annales in lucem emisisses. Nam, ut ingenue tibi fatear, gratulabar mihi magnopere, me a te designatum esse, ex quo aliquam triumphi materiem peteres. Vt primum apud amicum meum cænatum fuit, continuo legendæ Dissertationi tuæ me accinxeram. Advertit me illud ante omnia, quod a sermonis elegantia, constante industria, rerumque ordine, ac luculento ingenio laudem mihi tribuas non vulgarem, quæ ut inexspectata mihi prorsus fuit, ita sincero ex animo a te profectam existimare debeo. Quamquam istorum, quæ tu mihi tam liberaliter tribuis, omnino videam, quam multa mihi desint. Quæ ego contra in te congessi encomia, non potui Clar. Vir tibi, meritoque tuo non deferre, qui post *Timonem*, & *Belium* primus omnium popularium nostrorum fueris, quem Patriæ amor ad eruendas Majorum res gestas e tenebris, magisque illustrandas accenderit. Quare mirum in modum gaudeo, pari me tecum argumento occupatum fuisse, etsi complura sint, in quibus non consenserimus, sive id factum est propterea, quod veritas non semper omni ex parte, neque omnibus perinde aspectabilem se præbeat, itaque, cum scriberemus, alter alterius momenta

in

in vicem ignoraremus, ſive, quod quisque ſua præ aliis fere ſolet diligere. Proinde id mihi communi ſcriptorum jure ſumere potui, ut, ubi mihi videbare ad veritatem non acceſſiſſe, meam opinionem tuæ anteponerem; tibi viciſſim nemo id vitio dederit, quod te, tuaque adverſum me diſſertatione apologetica tuearis.

Video autem omnem Diſſertationis tuæ ſtructuram quatuor potiſſimum capitibus abſolvi; quorum primum agat *de origine Hunnorum*, alterum *de martyrio D. Urſulæ, & Sociarum Virginum*, tertium *de rebus ab Attila fere geſtis*, poſtremum denique *de Turcorum incunabulis*. Ad quæ, quoniam rationes a te allatæ me de mea ſententia dimovere non poterant, patieris, ut tibi prolixius, quam ceteroquin epiſtolæ modus ferat, reſpondeam.

§. I.

De Origine Hunnorum.

ATque ut ab origine Hunnorum capiam initium, tua Vir Clariſſime hæc opinatio eſt. Scythas, quo nomine univerſe Hunnos accipis, a Magogo Japheti filio ortum trahere: tum ante linguarum confuſionem, ſub monte Gordiæo, in quo arca a diluvio reſedit, primum omnium regnum ſtabiliſſe, itaque nativas Hunnorum ſedes in Armenia ad Araxem fluvium locari oportere. A) Hæc tua inquam opinatio eſt. Quid ſi primum illud; Scythas a Magogo profectos negem? certe Clariſſimus Calmet B) Scythas a Chus Chami filio ortos eſſe, Suidas autem, & Cedrenus C) Perſas a Magogo proficiſci ſatis veriſimiliter docent. Et tamen neque poſteros Chus, neque Perſas in Hunnorum numero eſſe patieris.

Do id tamen tibi, a Magogo Scythas deſcendere, quoniam Beroſi, & Joſephi Flavii auctoritate niteris. Permagni mea deinceps referet, Beroſi locum ex tuis Commen-

A) Tom. I. tuorum Comment. Lib. II. Capp. VII, & VIII. Rurſus Tom. II. Cap. I. II. & VII. B) Comment. in Geneſ. Cap. II. verſ. 13. C) Idem Calmet ibid.

mentariis huc transferre. D) Sic autem habet. *Tunc Janus* (Noe) *pater adhortatus est homines principes ad quærendas novas sedes. - - - - Itaque Nymbrotum creavit Babiloniæ Saturnum primum. Quare Nymbrotus assumto filio Belo Jove cum coloniis - - - venit in campum Senaar, ubi designavit urbem, & fundavit maximam turrim anno salutis ab aquis* CXXXI. *ubi regnavit annis* LVI. *Rursum his temporibus Janus, cum omnes in colonias missi abivissent, eos, qui remanserant, bipartitus est. Nam secum retinuit filios plurimos, quos post salutem ab aquis genuit: & item maximam multitudinem gentium, quas secum conducturus erat. Scytha cum matre Araxa, & aliquot coloniis, qui Armeniam incolerent, rex primus relictus est, constituto summo Pontifice Sabatio Saga. Postremus omnium ipse Janus per orbem colonias seminaturus ab Armenia egressus est.* Hæc Berosus tuus.

Ante omnia quæro ex Te, cum in primo Commentariorum tuorum Tomo Berosum ab Annio Viterbiensi aut depravatum, aut suppositum diserte perhibeas, an genuinum hunc locum, aut contra sup-

D) Tom. II. Comment. tuor. Lib. III. pag. 11. & 12.

positum existimes? affirmas genuinum esse, idque fidenter, propterea quod *cum antiquissimis juxta, & probatissimis Sriptoribus consonet.* E) Ego vero planum tibi faciam, hunc Berosi locum neque cum Moyse, sacro scriptore, nec cum profanis congruere. Berosus enim structuram turris Babel ad annum a diluvio CXXXI. affigit: Moyses contra, ut eruditissimus *Usserius* ostendit, ante annum a diluvio CXV. Cum enim ex ejusdem Usserii sententia cœlestes observationes, Babylone Alexandri ævo repertæ, sint ab anno M.DCC.LXXI, necesse est, turrim prius structam fuisse, quam cœlestes observationes ex ea a Babyloniis fierent. Berosus Noemum liberis procreandis post diluvium operam dedisse scribit: Moyses contra ab re uxoria abstinuisse satis perspicue docet; F) tuque ipse, quamquam in principio, Annii, & Cajetani auctoritate inductus affirmes Noemum a diluvio veneri vacasse, tamen, ne contra torrentem interpretum, ut scribis, pene omnium, niti videaris, concedis eum matrimonii usu sibi penitus in-

E) Ibid. pag. 14. F) Genes. Cap. IX. v. 19. *Tres isti sunt filii Noe, & ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* Alioqui si post diluvium Noemus filios procreasset, illorum Moyses memoriam facturus erat.

interdixiſſe. G) Adde, quod Beroſus tuus Nemrodo filium tribuat Belum, quem tamen profani Scriptores eundem cum Nemrodo fuiſſe communiter perhibent. Credo ego Beroſum, cum Moyſi ætate præ ceteris Scriptoribus viciniſſimus fuerit, multo aliter, & ad ſacras litteras, quas eum legiſſe veriſimile eſt, congruentius ſcripturum fuiſſe, quam locus hic, quem tu genuinum eſſe contendis, referat. Itaque probabiliter conficio, ea, quæ de Scytha iſthic ſcribit, non majoris, quam cetera, auctoritatis eſſe.

Miror proinde, unde id juris tibi ſumſeris, ut Scytham Priſcum Magogi filium faceres. Nec Moyſes, nec, quem tanti facis, Beroſus illius unquam meminit. Tu tamen, *etſi Sacræ litteræ*, inquis, *haud ullum natum Magogi connumerent, quis tamen neget liberos illum ſuſcepiſſe? in his Scytha Priſcus eſto.* H) Oro te doctiſſime vir, ne in argutando tam præcox ſis. Cui enim id perſuadeas: Magog liberos ex conjuge potuit tollere, ergo Scytha Priſcus Magogi filius erat. Quin ſi Beroſo tuo deferre volumus, vero eſt ſimilius, Scytham Noemi filium fuiſſe. Ubi enim narraſſet, Noemum *poſt ſalutem ab aquis filios*

G) Tom. II. pag. 23. H) Ibid.

lios plurimos retinuisse, continuo subjungit, ut ex loco supra laudato constat, Scytham cum matre Araxa regem in Armenia constitutum esse. Tu tamen illum Magogo filium tribuis: neque nulla id ratione videris facere; mox enim addis: *& quum exploratum sit, Scythas a Magogo profici-sci, utique per Scytham Priscum descenderint.* j) Quæ hæc rursum argutatio est? do tibi Scythas a Magogo proficiscì, do eos proficiscì, ut tu vis, per Scytham Priscum; numnam propterea Scytha Magogi filius sit? non putem. Nam si Scytham nepotem, aut abnepotem Magogi constituas, Scythæ per hunc a Magogo perinde proficiscì poterant, ac per filium. Videorne tibi injurius fuisse præstantissime vir, cum in præfatione ad annales meos dicebam, opinionem tuam de origine Hunnorum ob tenues, & incertas conjecturas non omnibus probari? Quid, quod tibi ipse non cohæreas? etenim Scytham Priscum, quem hoc loco tua unius auctoritate Magogi filium facis, alibi k) unum, eundemque cum Magogo fuisse ais.

Vide tamen, quam tecum agam liberaliter. Permitto tibi locum Berosi supra laudatum, esse genuinum; Scytham Priscum,

j) Ibid. k) Ibid. pag. 158.

ſcum, quod tamen nullibi probas, fuiſſe Magogi filium, & per illum Scythas profectos: addo, Joſephum Flavium, Euſtatium, Theodoretum, Hieronymum, plurimosque ex recentioribus docere, Magogum Scytharum patrem fuiſſe. Quid tum? quo argumento evincis, hos Scythas, qui Joſepho teſte prius Magogæ dicti ſunt, re ipſa Hunnos fuiſſe? ſi iſthinc, quod Hunni a Scriptoribus paſſim Scytharum nomine inſigniuntur, non rite concludis: quoniam ante Joſephum Flavium, quo tu tanquam cardine niteris, Strabo Rhoxolanos, Sarmatas, omnesque ſeptentrionales populos, & poſt Flavium Plinius cum Procopio Germanos, atque ex his ſingilatim Gothos, Wandalosque in Scytharum numero locant; num hi omnes Hunni, quia Scythæ? minime gentium. Unde ergo oſtendis Scythas, qui a Magogo orti ſunt, re vera Hunnos fuiſſe? id cuperem mihi abs te explicari. Ego quidem Hunnos gentem vetuſtiſſimam eſſe, Scythas dici, & a Japheti filiorum, vel nepotum aliquo exortos concedo, nihil tamen rationis, aut probabilis conjecturæ video, quod perſuadeat ab Magogo originem duxiſſe; niſi forte ſolidiora momenta, ex quibus id confici ad liquidum poſſit, in medium adducas.

Quodſi non ſit undique certum, immò magna ex parte incertum, Hunnos a Magogo profectos fuiſſe; liquet, Hunnorum nativas ſedes ad Gordiæum montem, ut tibi placet, non poſſe itidem ſtatui: multo autem minus, Hunnos ante linguarum confuſionem regnum iſtic habuiſſe. Patieris eruditiſſime vir, ut multa hoc loco ex te quæram.

Primum cupio ex te ſcire, qui Hunnos ante linguarum confuſionem diſcernas? lingua, & ſermone non potes: nam, ut Moyſes ait, 1) *erat autem terra labii unius, & ſermonum eorundem.* Igitur Magogarum, ſive, ut tibi videtur, Hunnorum idem ſermo cum ceteris. Neque vivendi norma, aut religione Hunni ab ceteris alii: vitæ enim, & religionis diſpar ratio poſt migrationem ex Senaar maximam partem invecta eſt. Itaque hoc reſtat, ut ſitu, & regionum poſitu illos ab reliquis ſecernas. Facis hoc liberaliter, cum Magogum Hunnorum Genearcham ad montes Gordiæos ante linguarum confuſionem regnum fundaſſe ponis. Quo auctore id probas? Moyſes, quo neque vetuſtiorem, neque credibiliorem Scriptorem habemus, altum ſilet, Beroſus tuus nihil loquitur, igno-

1) Geneſ. cap. XI. v. 1.

ignorat id Joſephus Flavius, & Fabius Pictor, quem tu ad firmandam opinionem tuam adducis, contrarium tibi, tuæque opinioni ſcribit. De aurea enim ætate, quam a Noemo ad Ninum CCL. annos duraſſe perhibet, in hæc verba ſubdit: m) *ea ætate nulla erat monarchia, quia mortalium pectoribus nondum hæſerat ulla regnandi cupiditas.* Si igitur primum poſt CCL. annos a diluvio monarchiis factum initium eſt, qua tu auctoritate contendis, Magogas, ſeu Hunnos ante linguarum confuſionem, quam Uſſerius, & cum hoc peritiores Critici ante annum a diluvio CXV. affigunt, jam regnum habuiſſe, idque ad montes Gordiæos?

Cupio deinde ex te ſcire, unde habeas, Magogum, & qui ab hoc proficiſcuntur, Magogas in Armenia ad Gordiæos montes regnum ſtabiliſſe ante linguarum confuſionem? horum enim nihil ſive Moyſes, ſive Beroſus, aut alius quisquam memorat. Cur non potius Gomero, quem Magogo natu majorem fuiſſe veriſimile eſt, hanc prærogativam tribuis? Hoc unum video a te reſponderi poſſe: Scythas ad Araxem amnem olim habitaſſe, ultra id flumen

m) Comment. tuorum Tom. II. Lib. II. Cap. 1. pag. 8. & 9.

men autem locari montem Gordiæum, itaque Hunnos, qui Scytharum nomenclaturam poſtea obtinuerunt, hoc loco regnum habuiſſe. Recte id quidem, nec ego diffiteor, Scythas Hunnos ad Araxem fluvium olim coluiſſe, ſed non credo ante linguarum confuſionem, niſi ratione veriſimili id conficias; hoc autem Clariſſime Vir, tametſi tibi, & multiplici doctrinæ tuæ plurimum deferam, nuſpiam doces. Quin ſunt auctores, iique non leves, qui oppoſitum prorſus ſentiant. Suidam, & Cedrenum, qui Magogas in Perſia locant, itaque longo ſatis a Gordiæis montibus intervallo, jam ſupra memoravi. Plinius N) ſedes nativas Magogarum in Cœle Syria conſtituit, quorum urbs Hierapolis, vetere Syrorum lingua, eodem teſte, Magog dicta ſit. Conciliat ſententiæ huic veriſimilitudinem Ezechiel, o) qui Gog, & Magog ex ſeptentrione in populum electum educit, liquet autem Cœle Syriam Judææ ab ſeptentrione obtendi. Quare perſpicuum eſt, quidquid de Magogo Hunnorum Genearcha, tum de nativis iſtorum ſedibus in Armenia locandis, operoſe prorſus duobus Commentariorum Tomis elucubratus es, tenuibus, & incertis conjecturis niti,

N) Lib. V. cap. 23. o) Cap. 38. 39.

niti, quod tibi a me non tam objici, quam commemorari ægre ferebas.

Verum an mea de Hunnorum origine ſententia veriſimilior? tu negas Clariſſime Vir; ego nunquam affirmavi, magisque *Deguineſii*, quam meam dici oportuit. Ex hujus mente ajebam, dubitandum non eſſe, quin Hunni, nam de primo eorum Genearcha, quoniam certi nihil afferri poterat, tacere, quam hariolari malui, dubitandum, inquam, non eſſe, quin Hunni ex primis coloniis fuerint, quæ poſt linguarum confuſionem campum Senaar deſeruere. Opponis nudam hanc prorſus aſſertionem eſſe, quæ neque ratione ulla, neque conjecturis a me fulciatur, doleſque vehementer, quod momenta, quæ in hanc rem faciant, ex Clar. *Deguineſio*, ut fere cetera, non *exſcripſerim*. Prius tibi, quam reſpondeo, ſine pauca in aurem tibi ut dicam, petoque hæc a Lectore amicitiæ cauſa, qua in te feror, præteriri. Si me hac loquendi norma, quod mihi videor non obſcure conjicere, plagiarium facis, injuriam mihi facis, qui quid ex *Deguineſio*, unde, quantum, quo modo, & quo tempore exſcripſerim, diſertis verbis non uno loco profeſſus ſim.

Et

Et quia clancularia nobis nunc sermocinatio est, loquar tecum familiarius. Quid est Clarissime *Deserici*, quod me ex tuis Commentariis quædam, & ex auctoribus exscripsisse prorsus invidiose commemores? exscripsi ex tuis quædam, non diffiteor, sed in quibus tibi non consentio, & rationes, cur dissentirem, in medium attuli, idque propterea, ut optima fide me tecum agere quisque intelligeret. Ex auctoribus vero non quædam, ut tu ais, verum omnia, quæ ad Hunnorum annales facerent, exscripsi, quemadmodum titulus, quem annalibus præfixi, in quo me ex orientis, occidentisque rerum Scriptoribus omnia congessisse profiteor, palam facit. Certe nemo unus, qui veterum res gestas sibi scribendas sumunt, eas ex ungue, ut dicitur, solent exsugere, sed ex fontibus hauriunt omnia, qui quanto origini suæ proximiores, tanto magis illimes sunt. Et quis me ab his fontibus adeundis, qui mihi, quam tibi copiosiores, & forte magis sinceri ad manum erant, prohibere potuit?

Quo magis miror, te mihi ad fastidium usque oggerere, tuo me calle pervul-

vulgatam ubique viam triviſſe. p) Ego quamquam gloriæ tuæ minime invidus, meæ autem non ſim immodice ſtudioſus, tamen ne mihi quidquam iſthinc fraudi a quoquam dari poſſit, aſſevero tibi fide mea, aut, ſi mavis, hiſtorica, qua nobis, qui hiſtoriam, aut annales ſcribimus, credi volumus, me prius, nomen quam tuum noſſem, aut, quid in re litteraria molireris, ſcirem, jam omnia compilaſſe, redegiſſe in ordinem, & ad criticem exegiſſe, itaque induxiſſe operi meo lineamenta omnia, quo-

p) Diſſert. tuæ apologeticæ pag. 4. ais: *Atqui idem ipſum & me jam ante te liquido edocuiſſe diſerte aſſeveras.* Pag. 5. *Quæ ego Libro meo IV. Partis I. ante te exequutus ſum.* Pag. 6. *Tu vir amiciſſime præeuntem ſubſequeris, ac eadem via incedis, quam ego adaperui, ordinavi, planavi, emunivi - - .* Ibid. *Hos ego verſus prius quam tu adduxi, explicavi - - .* Pag. 7. *Pergis deinde meo calle - - .* Ibid. *Tu idem poſt me ſumſiſti tractandum.* Ibid. *Nunc dum mea prævenientis haud ſemel ſecius interpretaris.* Pag. 15. *Hunc* (Attilam) *ego ante te vivis coloribus adumbraſſe viſus ſum permultis.* Pag. 16. *Noſtra poſt hæc via incedis.* Pag. 21. *Quam* (expeditionem nimirum Attilæ in Italiam) *ego prævie concinnaveram.* Pag. 23. *Hunnos Abares - - prior ego - - exequutus - - .* Ibid. *Tu pertextam telam egregie dein interpolaſti - - .* Pag. 24. *Horum* (id eſt Hungarorum) *ego res ante te impenſo ſtudio erutas - - in lucem protuleram.* Denique Pag. ultima, quaſi omnia in unum complecti volueris, ita habes: *Ponat incorruptus Lector in bilancem, addiderit autem in partem meam mantiſſæ inſtar, id quod alias quoque citra arrogantiam quodam modo aperuerim, ordinaverim planaverim, quodve facem prætulerim . - - .* Ex quibus id unum conficio, te in ſcribendo priorem fuiſſe tempore. Puto tamen magis referre, quo modo, quam quo tempore quis ſcribat.

quorum ductu annales deinde a me conscripti sunt, si ea modo demas, quæ de Hunnorum origine, eorumque in Asia gestis rebus ex *Deguinesio* exscripsi, tum quæ ex tuis Commentariis refutanda mihi sumsi, quos ante finem anni M. DCC. LX. ne videram quidem.

Nunc, ut tibi ad ea, quæ mihi de origine Hunnorum objicis, respondeam, in viam redeo. Scribebam, Hunnos sine dubio unam ex primis coloniis fuisse, quæ post linguarum confusionem campum Senaar deseruerunt. Ais hæc a me afferri sine ratione, sine conjectura. Non opus erat vir eruditissime, ut rationibus, aut conjecturis hoc loco agerem, quando omnibus certum, persuasumque est, hominum genus universum a linguarum confusione in varias gentes discretum, sensimque per omnes orbis plagas dispersum fuisse; itaque Hunnos etiam: nisi forte Hunnorum linguam putes jam ante structuram turris Babel obtinuisse; de quo tricari operæ pretium non est. Quare si Hunni, dum turris Babel strueretur, lingua quoque ab ceteris discreti sunt, oportuit eos in Senaar fuisse, ubi turrim structam, & discretas linguas ex Sacris litteris constat. Quid igitur a me peccatum est, cum dixi, Hunnos unam

ex

ex primis coloniis fuiſſe, quæ terram Senaar poſt linguarum confuſionem deſeruere? aut quid opus fuit conjecturis eam rem comprobari, quæ, ut ita dicam, ante pedes omnium erat?

Sed, inquies, quid rationis habuiſti, quod Hunnos unam ex primis coloniis, quæ campum Senaar deſeruerunt, poneres? permultum ſane. Cum enim Hunnorum memoria in Sinicis annalibus jam anno ante natum Chriſtum bis milleſimo, ducenteſimo ſeptimo injiciatur, ut in prævia diſſertatione ad primam annalium partem memoravi, eosque Geographi Sinenſes provinciæ Pekinenſi ad Septentrionem locent, nullum mihi dubium erat, Hunnos, qui tam vaſtos terrarum tractus adeo longa temporis intercapedine ante Chriſtum natum coluiſſent, debuiſſe omnino ex primis coloniis eſſe, quæ campum Senaar deſeruerant. Etenim intervallum temporis inter annum ante natum Chriſtum MM. CC. VII, & annum turris Babel, quam ſtructam fuiſſe ante annum ab orbe condito M. DCC. LXXI. valde veriſimile eſt, ſi ponas, quod communiter obtinet, Chriſtum anno mundi quater milleſimo natum, haud excedet annos centum. Quis autem ſibi perſuadeat, Hunnos intra tam exiguum

temporis ſpatium poſt linguarum confuſionem inde ex Armenia immanes illas Septentrionis plagas, quæ inter *Irtiſchum*, & *Ilium* flumina comprehenduntur, peragraſſe, ſtabileſque iſthic ſedes ab iis locatas fuiſſe, niſi ex primis coloniis eſſent, quæ poſt confuſas linguas campum Senaar deſeruere? Ad intelligendam argumenti hujus vim, haud alia re opus eſſe puto, quam chartam Aſiæ geographicam curioſius intueri.

Non eſt autem eruditiſſime Vir, cur de annalium Sinicorum fide dubites, quod mihi de quibusdam tuorum relatum fuit. Conſtat enim inter eruditos, etſi multa ſint in annalibus Sinenſium, quod *Martinius*, & *Coupletus* viri e Societate mea, morum gravitate, & multiplici litteratura Sinis, & Europæis cogniti obſervarunt, etſi multa, inquam, ſint in Sinicis annalibus fabuloſa, & primo obtutu incredibilia; tamen ab dynaſtia familiæ *Han*, cujus initium ad annum ante natum Chriſtum MM. CC. VII. affigitur, certa eſſe propemodum omnia, & cum Moyſis chronologia apprime congruere. Vide igitur, num opinio mea, qua aſſerui, Hunnos citra dubium ex primis coloniis fuiſſe, quæ campum Senaar deſeruerant, nec ratione, nec conjecturis nitatur.

Age

Age nunc, & Hunnos ex campo Senaar, ex quo illos abfuiſſe male ponis, porro comitemur. Ego illos iſthinc in Armeniam, & Georgiam duco, unde deinceps, aucto populo, per anguſtos aditus, qui ad urbem *Derbentum* ſunt, probabiliter eluctati, vaſtiſſimos terrarum tractus Orientem, & Septentrionem verſus occuparint. Scripſi id ex communi ſyſtemate, quod eruditi pene omnes ex Cedreno, & Euſebio deſumtum ſectantur. Nempe Noemum ex DEI mandato teſtamentum condidiſſe, quo terram omnem tribus filiis diviſerit, ita, ut Oriens Semo, Africa univerſa Chamo obtingeret, Japhetus autem Europam cum inſulis, & borealibus Aſiæ partibus regendas acciperet. Non quæro, quam vera hæc ſint; opinio tamen olim ita pervagata fuit, ut eos Philaſtrius, r) juſto tamen liberaliore cenſura, inter hæreticos locarit, qui contra ſentire auſi fuiſſent. Certe autem inter eruditos obtinet, terrarum partitionem eum in modum factam, quo Euſebius factam eſſe memorat.

Finge jam eruditiſſime Vir, quaſi uterque in campo Senaar ad Euphratem fluvium, vultu Septentrioni obverſo, conſiſtamus. Quod dextrorſum nobis eſt, Semus cum

 ſuis

r) De hæreſibus cap. 70.

ſuis occupavit; quod a tergo viſitur, accepit Chamus: itaque ut Japhetus Europam colendam ſumeret, non alia iſthuc via eluctandi fuit, quam quæ ſiniſtrorſum erat ad Propontidem, & Boſphorum, aut antrorſum inter mare nigrum, & Caſpium. Cum autem certum ſit, Hunnos ſeptentrionis plagas ante natum Chriſtum coluiſſe, veriſimile valde eſt, eos per Caucaſeas pylas ex Armenia in Septentrionem perveniſſe.

Atque hic ego nativas Hunnorum ſedes ultra Volgam, ad extremum uſque Orientem collocavi, quoniam primum, & ſtabile imperium hoc loco ab Hunnis poſt confuſas linguas fundatum ex Sinicis Scriptoribus oſtenderam. Tibi id minime arridet Clariſſime Vir, & ſupervacaneum diſcrimen inter ſedes imperii, & nativitatis inducens hoc me argumento petis: s) *Sane, vel te confitente, evinco ego, non eſſe dubitandum, fuiſſe ultra Volgæ oſtia uſque ad Indos orientales, ſive Sinenſes, ab antiquiſſimis temporibus magna imperia Hunnorum. Attamen haud enitor adſtruere* (velim hujus memineris) *primam illius originem, ſive nativitatem exſtitiſſe, verum trans Araxem fluvium in Armeniæ regione ſub*

s) Diſſertatione tua apologetica pag. 4.

ſub monte Gordiæo - - - jam ante linguarum confuſionem ortum, & primordia habuiſſe. De monte Gordiæo jam ſupra oſtendi, quam tenui, & prope nulla conjectura hæc tua opinatio nitatur. Hic iſtud tueri præcipue videris; Hunnos nativas ſedes primum in Armenia habuiſſe. At non ſuo loco rem accipis tuendam, quando nullus unquam dubitavit, poſt diluvium genearchas omnes, ex quibus conſequuturæ deinceps gentes ortæ erant, in Armenia, ubi arca cum Noemo reſedit, & finitimis Armeniæ plagis in lucem fuiſſe editos. Alioquin, ſi ſententiæ tuæ tenacior ſis, & incunabula gentium tam religioſe ſumis, redeundum erit ad paradiſum, in quo Adam ex limo formatus originem omnibus, itaque Hunnis quoque dedit. Profecto vetuſtiora incunabula haud reperies. Cum autem de origine populorum lingua diſcretorum quæritur, puto quæſtionem ſic inſtitui: quo loco poſt linguarum confuſionem ſtabiles primum ſedes obtinuerint. Cum enim a linguarum confuſione migrationes gentium ſua primordia ſumſerint, nemo autem, qui migrat, ſtabili loco moretur; recta prorſus eſt conſequutio, originem gentium a linguarum diſcretione iſthinc repeti oportere, ubi pri-

mam, & ſtabilem imperii ſedem fixerint. Id, quod ego de Hunnis in ſeptentrionali Aſia inter *Ilium*, & *Irtiſchum* fluvios factum eſſe adſtruo ex Sinicis Scriptoribus, qui primævis Hunnis & ætate, & locorum intervallo viciniores certe fuerunt, quam omnes auctores Græci, & Latini.

Quod ſi tamen porro pergas contendere, Hunnorum nativas ſedes in Armenia ad montem Gordiæum, non item, ut ego evici, in ſeptentrionali Aſia fuiſſe, tuomet te telo Vir eruditiſſime petam. Etenim Tomo I. Comentariorum Tuorum Libro II. hunc titulum capiti V. præfigis: *Quo continetur inſigne, ac pervetuſtum* MS. *ad indicandas Hunnorum, Hungarorumque NATIVAS SEDES hactenus deſideratum.* Statuuntur autem NATIVAE Hunnorum SEDES in hoc MS. trans VOLGAM, itaque in Aſia ſeptentrionali, ut negare non potes. Rurſum eodem Tomo, & Libro hæc verba præmittis capiti VII: *Profertur alterum illuſtre documentum, Hunnos, Hungarosque, ſive Magaros ultra VOLGAM ad orientem SEDES habuiſſe priſtinas, ac NATIVAS.* Itaque ſi Hunni ultra VOLGAM ad Orientem SEDES NATIVAS habuere, mecum prorſus ſentis, Hunnorum non tantum IM-

PE-

PERIA, sed etiam INCUNABULA trans VOLGAM ex Asia septentrionali repetenda esse; cujus ut meminisse velles, non de nihilo supra te admonui.

§. II.

De martyrio D. Ursulae, & Sociarum Virginum.

HÆc de origine gentis nostræ, ut ostenderem, quid inter tuam, & meam opinionem intersit. Venio ad alterum caput Dissertationis tuæ apologeticæ, quod de martyrio D. Ursulæ, & Sociarum Virginum tractat.

Affigis tu illud Vir Clarissime ad annum Christi CCXXXVII; ego ad annum CCCCLI: tu Sunicis populis, ego Hunnis tribuo: tu ad Alexandri Severi, aut Maximini Thracis, ego ad Valentiniani III. tempora adduco. Uterque conjecturis agimus: itaque ante omnia videndum erit, utrius verisimiliores sint, ut Lector, quem nobis utrinque judicem constituimus, pro causæ momentis sententiam ferat. Fons tibi, ex quo argumentorum vim, & congeriem pro tua opinione hauris, est codex

MS. ſed mutilus, cujus proinde auctorem uterque ignoremus, quemque Romæ abs te repertum ſcribis, tametſi nihil afferas, a quo acceperis, in qua bibliotheca repereris; quod tamen alias, ubi de MS. Vaticano agis, diligenter prorſus feceras, interpoſita Doctiſſimi *Aſſemani* fide. Dolebam antea vehementer, quod autographum ipſum tuis Commentariis non inſerueris: hunc tu mihi dolorem nunc penitus abſtergis, dum inſignem auctoris mutili locum in Diſſertatione tua mecum communicatum volebas. Operæ pretium eſt, integrum hic adferre, ut quisque, ſi cui forte tua Diſſertatio ad manum non ſit, pro arbitratu ſuo de fide auctoris mutili conſtituat. Sic vero te ſcribente habet. r)

Ex Aelio Lampridio martyrium harum Virginum ad tempora Alexandri Severi Mammeæ filii refertur, uti etiam ex Julio Capitolino. Quo imperante (Alexandro ſcilicet) *ab Alemannis Rheni accolis rebellio adverſus Romanum imperium coorta fuit. Ad quam ſedandam Maximinum ducem, ex Illyrico evocatum, is miſerat. Ipſe ergo eo tempore cum matre Moguntiam acceſſerat, ut vicinior ad rebellionem compeſcendam fieret. At per lixam quemdam, incentore*

r) Diſſert. tua apolog. pag. 12. & 13.

tore Maximino, una cum matre occisus fuit. Tum Maximinus acclamari se Imperatorem ab exercitu fecerat sine Senatus Romani consensu. Hostis proinde declaratus, & pro eo Maximus Pupienus, & Clodius Balbinus Imperatores renuntiati. Cum itaque Maximinus circa Coloniam Ubiorum fureret, quæ in Romani Senatus fide permanebat, eamque aut per se, aut per Julium Romanorum militum ad Rhenum inferiorem ducem, sibi tum parentem obsideret, advenientes eo Virgines trucidavit. u) *Quod antiquissimi Scriptores Vincentius Belovacensis, Anton. Joan. Maghinus, Historia antiqua Colonienſis, Herwartus in cap. 247. & 262. accidisse referunt anno 237: in sepulcris Virginum Coloniæ positis 238. distincte exprimitur. Quod ideo factum observat Herwartus, quia licet alii a Nativitate Domini annos computarent, Francis tamen mos fuit ab ipsa Incarnatione eos computare, ad quos olim Colonia pertinuerat, verbi gratia temporibus S. Cuniperti Archi-Episcopi, quibus primum historia illa, quæ apud Suriuu de martyrio Virginum*

u) Hucusque auctor mutilus historiam Martyrii ex Lampridio, & Capitolino, si eos tamen unquam legit, videtur sumsisse. Ceteros enim, quos subjungit, Scriptores multo tempore post Lampridium, & Capitolinum floruisse constat.

exſtat, x) *ſcripta fuit. Quo ſane anno 237. nulla Hunnorum in Europa fama fuit. Quare quod Hunnis adſcripta cædes poſtea fuerit, quidam cauſam aſſerunt, ut Sigebertus, Bonfinius, Sigerus, quod cum Maximinus, teſte Jornande, Gothorum gente editus fuerit, Hunni autem cum Gothis, quos domuerant, permixti fuerint, aut quorundam ſententia eadem cum Gothis gens, inde hiſtoria ſubſequa* y) *Hunnis cædem adpinxit: præſertim cum eo tempore, quo primum ſcripta eſt hiſtoria, ſcilicet circiter poſt 150. annos ab adventu Hunnorum, ea eſſet de Hunnis fama, quod omnia priora dire, atque crudeliter facta eis adſcriberentur. Unde Nicolaus Serrarius* (in Moguntia) *populos Sunicos hujus cædis auctores fuiſſe dicit, & tum a librariis pro Sunnicis vel Sunnis Hunnos jam tum notiores, fuiſſe ſubſtitutos, cum hiſtoria vulgaretur. Erant autem Sunni vel Sunnici ſecundum Philippum*

x) Et tamen Surius cædem Virginum ad 383. annum affigit, & Hunnis aperte tribuit: itaque etiam hiſtoria illa, quæ ſub Cuniperto ſcripta fuit, Hunnis, non vero Sunis eam cædem tribuit. y) Immo hiſtoria hujus martyrii, quæ omnium prima fuit, Hunnos habet, & non Sunnos. Primum enim hiſtoria hæc, ut habet auctor mutilus, ſcripta eſt temporibus Cuniperti, inde mutuavit Surius, eodem auctore mutilo teſte; Surius autem habet Hunnos, & non Sunnos, itaque & illam oportuit habere Hunnos, non item Sunnos.

pum Cluverium, Plinium, & Tacitum Germaniæ olim populi translati e Germania a Romanis ad hanc Gallicanam Rheni ripam, ut eam velut Romanorum amici adversus alios Germanos, Romani imperii hostes defenderent. Ac licet Hubertus, Thomas Leodius Sunnicos inter Bethasios, atque Batavos constituat, tamen Philippus Cluverius inter Roram, ac Mosam, ubi nunc est Comitatus Felekebergensis, eos locat libro II. de Germania Capite XIX. Et proclive est cum Petro Divæo in antiquitatibus Belgicis eos ab oppido Sons circa Rheni ripam fuisse dispersos, Principe eorum Julio in oppido Rhenen circa insulæ Bataviæ caput habitante. Alii ergo dicunt, uti Anastasius Bibliothecarius, Maximum (Pupienum) *ad Julium cognatum suum, itemque* (Julium) *Africanum Consules scripsisse, tum ethnicos, ut Virgines tolleret. Alii contendunt, uti Julius Capitolinus, Julium Sunnorum Principem partibus Maximini adhæsisse in Italiam abeuntis, ubi postea idem Maximinus periit, & ejus nomine Coloniam Ubiorum eundem Julium diripuisse, Virgineſque Roma reduces enecuisse collecto ex Sunnicis gentibus exercitu.*

Ha-

Hactenus auctor tui MS. quibus tu Clariſſime Vir in hæc verba ſubjungis: z) *Totidem ſunt verba auctoris Romæ reperti, qui ſane connexe, erudite, congruentiſſime, & proxime ad veritatem perhibet, Urſulam cum Sociis Virginibus, quotquot fuerint - - - ab Julio Sunnorum Principe, ſub Maximino truculentiſſimo - - - - trucidatas fuiſſe circa annum CCXXXVII.* Notas deinde meam in arguendo hoc auctore ſive intemperantiam, ſive injuriam, aisque: *probius iccirco exiſtima deinceps de auctore Romæ reperto Vir erudite - - .* Niſi potior mihi deberet eſſe veritatis ratio, libens tui gratia probius de auctore tuo exiſtimarem. Vide, quantum tibi tribuam. Ceterum gratiam tibi habeo maximam Vir humaniſſime, quod aliquo me loco inter eruditos tuo judicio conſtituas. Dabo operam, ut ne fruſtra tam eleganti me nomine cohoneſtaris, idque omnium primum ex tuo auctore mutilo mereri mihi animus eſt. Vide, quem in modum.

Exiſtimo auctorem tuum mutilum nec erudite, nec connexe, nec proxime ad veritatem in propoſito ſibi argumento diſſeruiſſe. Oro te, ut mihi parumper auſcultes. Primum ex Aelio Lampridio, & Julio Ca-

z) Diſſert. tua apolog. pag. 13.

Capitolino ſcribit, martyrium Virginum ad Alexandri Severi tempora referendum eſſe; cum tamen conſtet, Capitolinum Alexandri vitam non ſcripſiſſe. Scripſit enim vitas Antoninorum, Pii, & Piloſophi, Veri, Pertinacis, Claudii Albini, Maximinorum, Gordianorum, Balbini denique, & Maximi. In his quoque nihil de martyrio exſtat. Itaque non intelligo, qua ratione ex Capitolino id martyrium ad Alexandri tempora auctor tuus referre poſſit. Hoc puto non ſatis *connexe* ab tuo mutilo auctore ſcriptum eſt.

Tum refert, quod jam innui, cædem Virginum ad Alexandri Severi tempora, itaque cædem eveniſſe ponit vivo Alexandro: mox ſui oblitus ait, Virgines Rheno appropinquantes, Maximini Tyranni juſſu, per Julium Sunnorum Principem trucidatas; igitur Alexandro jam cæſo. Maximinus enim non niſi trucidato Alexandro imperium cum tyrannide arripuit. Quare vivum Alexandrum cum mortuo Alexandro conjungit. Id quam *congrue* ab mutilo auctore tuo ſcribatur, tu ipſe, velim, exiſtimes.

Nec ſatis rite Imperatorum ſeriem texit auctor tuus mutilus. Nam, Maximino imperium per tyrannidem occupante,

non

non sunt electi Pupienus, & Balbinus, verum Gordianus Pro-Consul Africæ cum filio suo itidem Gordiano, quos Senatus consulto perspicuum est Augustos fuisse compellatos. Postea autem quam Gordianus junior pugna cum Capetiano inita interisset, pater vero sibi ipse consciviſſet mortem, tum primum Maximus Pupienus, & Balbinus adversus Maximinum Augusti ab Senatu declarati sunt. Minus itaque *erudite*, quam auctori ceteroquin conveniat, tuus ista litteris consignavit.

Rursus non recte narrat auctor tuus in hæc verba scribens: *Cum itaque Maximinus circa Coloniam Ubiorum fureret - - eamque aut per se, aut per Julium - - - sibi tum parentem obsideret - - .* Quid istud sibi vult: *cum eam* (hoc est Coloniam Ubiorum) *aut per se, aut per Julium - - - obsideret.* Non credo Capitolinum tam ambigue scripsisse, ut dubius hæreret, ignoraretque, utrum Colonia per Maximinum, an per Julium obsessa fuerit: hoc hariolari fuisset, non Maximini historiam scribere, quam cum auctor Constantino Augusto dicaret, tam remotus a Maximini ætate non erat, ut dubitare posset, an per Maximinum, aut per Julium Coloniæ obsidio circumdata sit.

Et

Et quam illud quoque ab hiſtorica veritate abhorrens eſt, quod tuus auctor mutilus narret, Maximinum, poſtquam hoſtis declaratus eſſet, ad Coloniam Ubiorum graſſatum fuiſſe; quem tamen, ubi ſe audiſſet hoſtem imperii ab Senatu pronunciatum, recta Sirmio in Forum Julii ad Aquilejam promoſſe, atque iſthic interfectum conſtat. Hactenus auctor tuus mutilus ex Lampridio, & Capitolino, ut tibi quidem videtur. Cetera ex aliis ſumta ſunt. Videamus autem, qui cohæreant.

Affigit is cædem Virginum ad annum Chriſti CCXXXVII, idque auctoritate *Vincentii Belovacenſis*, *Joannis Antonii Maghini*, & *Herwarti*. Lapis contra ſepulcralis, qui cælis Virginibus poſitus ſit, refert annum CCXXXVIII. Hoc uno loco partes eruditi fortaſſe ſcriptoris auctor tuus mutilus implere voluit. Cum enim videret annum lapidis ſepulcralis cum anno martyrii non congruere, omne id diſcrimen a Francorum more repetit, qui annos æræ vulgaris non ab Chriſti Nativitate, ſed Incarnatione Verbi inire conſuerint. Sed neſcio, qui factum ſit, ut auctor tuus ea parte, qua effugium quæſierat, ſe ipſum in pedicas magis implicuerit. Si enim Francis mos erat annos ab Incarnatione,

non

non item a Nativitate inire, credo hunc illis universe morem fuisse; itaque seu res historicas ad posterorum memoriam transmittebant, seu etiam dum publica erigerent monumenta, cujusmodi certe lapis sepulcralis fuit, quem Virginibus posuere. Cur igitur lapis non eundem annum cum historia martyrii refert? alterutrum necesse est, ut concedas: aut lapidem anno martyrium consequente positum esse, contra quam auctor tuus defendat, aut eodem, quo passæ Virgines sunt: at tum inepta prorsus est auctoris tui ratiocinatio. Si enim cædes Virginum anno CCXXXVII. patrata est, cum in more fuerit Francis annos ab Incarnatione numerare, itaque additis novem omnino mensibus ad æram vulgarem, certe scribendus in historia martyrii fuit annus CCXXXVIII, perinde ut lapidi incisus fuit annus CCXXXVIII. Aut redde mihi hujus discriminis rationem, cur in historia martyrii annus ab Nativitate, in lapide contra ab Incarnatione initus sit. Quare iterum, nisi me omnia fallant, non *congrue* hæc ab auctore tuo mutilo narrantur.

Illud quoque permirum in auctore tuo mutilo: Maximum Pupienum in mandatis dedisse Julio cognato suo, & Julio Africano

Con-

Consulibus, ut Virgines neci dederent. Id profecto minime cum chronotaxi congruit. Quo enim anno Pupienus imperio potitus est, Africanus Consul non erat, sed anno CCXXXVI. Julius autem cognatus Pupieni nuspiam Consul fuisse memoratur, nisi forte idem hic fuerit cum Julio Lupo, qui cum Maximo Consulatum iniit anno CCXXXII, quod nec auctor tuus probat, nec ego affirmare possum. Verum hæc ex mente Anastasii Bibliothecarii ab auctore tuo dicta contendis? non sum invitus: quamquam non video, cur tuo potius auctori, cædem eam Maximino adscribenti, quam Anastasio ad Pupienum referenti fides habenda sit, cum hic tamen circiter medium seculi IX floruerit, itaque martyrio Virginum multo, quam auctor tuus mutilus, fuerit vicinior. Ceterum illud fidenter dico: auctorem mutili codicis hæc in Anastasio Bibliothecario nunquam legisse, quippe qui præter vitas Pontificum, & historiam translationis S. Benedicti, quod quidem sciam, nihil scripserit, nuspiam autem martyrii hujus memoria exstat; nisi forte dicas, auctorem tuum in alio Anastasii opere, quam quod hodie exstet, id martyrium legisse, de quo postea viderimus. Quare cum nobis falsa pro veris tam audenter sciens vo-

lensque obtrudat, patieris eruditissime Vir, ut ex his conficiam, auctorem tuum mutilum manifeste falsarium esse.

Denique ut finem faciam, quanta illa auctoris tui mutili hallucinatio est. Primum diserte scribit, historiam Virginum martyrum temporibus S.Cuniperti scriptam esse: deinde, haud multis interjectis, ait primum scriptam esse anno ab adventu Hunnorum in Europam CL. Nisi tui gratia auctori mutilo aliquid deferrem, pene dicerem, illum hoc loco intemperiis agitari, ita se, quod dicimus, prudens volensque in faciem cædit. Floruit enim Cunipertus Colonienſis Episcopus, non autem, ut tuus auctor perperam scribit, Archi-Episcopus, qua prærogativa primum omnium Coloniæ præfuisse Bonifacium anno Christi DCCXLV, pro explorato habetur; aa) floruit, inquam, Cunipertus circiter annum DCL. temporibus S. Sigiberti Austrasiæ Regis. Hunni advenere in Europam anno CCCLXXIV, aut priore. Hinc si CL annos censeas, habebis nisi fallor annos DXX, aut paullo amplius. Ergo si tuo auctori credimus, scripta est primum historia martyrii temporibus S.Cuniperti, hoc est, circiter annum DCL; & scripta quoque primum

aa) Calleſius Annal. Eccleſ. Germ. Tomo II. ad an. 745.

mum fuit anno DXX. Egone mutilo huic codici credam? ita me veritas historica, & hujus amantes ament, quidvis perpeti mavelim, quam id modi auctori, qui sui immemor, nec congrue, nec erudite, nec connexe scripserit, fidem habere.

Ex his Clarissime Vir facile intelliges, mirari me magnopere, quod auctorem hunc non modo acriter defendendum susceperis, sed interpretando etiam volueris illustrare. Feres æquanimiter, si commentationes tuas, quas in illum adornaveras, tibi non e sententia cecidisse ostendero. Etenim cum vulgi opinio ferat, agmen Virginum Romam delatum, provideres autem tuo auctori dubium obmoveri posse, quando isthuc Virgines delatæ sint; scribis BB) *eas Romam devotionis ergo processisse sub Alexandro Severo anno Christi CCXXXVI declinante, vel primo opportuno tempore anni CCXXXVII.* Atqui perspicuum est, Alexandrum jussu Maximini trucidatum esse anno CCXXXVI, die Martii XIX. cc) aut, ut Pagius vult cum Mediobarbo, CCXXXV. Qua ergo ratione anno CCXXXVI declinante, hoc est, cæso jam dudum Alexandro, Romam profectæ sunt

BB) Dissert. tua apolog. pag. 19. cc) Du Mesnil S. J. Tom. I. Discip. Eccles. Lib. VI. pag. 281.

Virgines ſub Alexandro Severo? nunquid cum auctore tuo mutilo vivum Alexandrum cum cæſo Alexandro conjungis?

Quia autem video, multum te roboris in Alexandri Severi erga Chriſtianos benevolentia collocare, feret Lector patienter, ſi id quoque, cujus momenti ad præſens argumentum ſit, viderimus. Lampridius itaque hæc de Alexandro Severo memoriæ prodidit: *in Larario ſuo Divos Principes, ſed optimos, & Chriſtum, & Abrahamum, & Orpheum, & Apollonium, & majorum effigies habebat, iisque rem divinam faciebat, - - - quin & Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere.* Quod poſtremo præmittitur ut laude non caret, ita prius illud, dum Chriſto, & Abrahamo Orpheum, & Apollonium, quo majorem præſtigiatorem terra non tulit, contendebat, vituperio dignum eſt. Faviſſe tamen non nihil Chriſtianis Alexandrum non nego. Quem illi animum a Mammæa matre inſtillatum fuiſſe dubitari non poteſt. DD) Quæ dum filium anno Chriſti CCXXVII adverſus Perſas proficiſcentem comitaretur, Origenem, cujus viri famam paſſim celebrari audierat, ad ſe vocari fecit, a quo Sacrorum Chriſtianorum cognitionem aliquam

DD) Euſebius hiſt. Lib. VI. cap. XXI.

quam hausit, & filio deinceps communicavit. Verum quid favoris abhinc Alexander Christianis impertitus est? Passum quidem fuisse Christianos in urbe commorari Lampridius diserte habet, verisimile tamen est, ejus beneficentiam non multum ad illos pertinuisse, quod primores urbis pene omnes vano deorum cultui initiati erant, ipse vero Alexander sæpe Roma abfuerit, sive propulsandis, sive inferendis bellis occupatus. Certe anno CCXXXV contra Parthos moverat: his victis, & triumphatis, in Germanos tumultuantes rediit. Sed prope Moguntiam in vico, cui Sicila nomen, a tribuno, & centurionibus, quos Maximinus immiserat, mense Martio obtruncatus.

Jam si ponas, ut vulgo hactenus creditum fuit, agmen hoc virgineum peregrinationem Romam instituisse ex Britannia, difficulter id persuadebis, tam itineris, quam temporis ratione: quoniam fides in Britanniam primum invecta est anno Christi CLXXXI, itaque LV annis prius, quam Virginum cædes in Germania contigerit. Arduum vero creditu est, tam insignem Britonum copiam LV annorum spatio ad Christiana sacra traductam esse, quando B. Augustino, quem Gregorius M.

ferius postea illuc miserat, satis adhuc laborum, & tædii exhauriendum in Britannia fuit. Quare ex Germania, & finitimis Rheno plagis Virgines Romam delatas oportuit. Quis autem existimet, tam frequenti numero Virgines, aut, si non omnes, quod ipse puto, Virgines fuere, imbellium hominum agmen peregrinationem Romam suscepisse eo tempore, quo Alexander, in cujus favore spem maximam opinione tua locare poterant, jam cæsus, Maximinus contra tyrannus ad clavum admotus, clancularii in urbe Christiani, primores autem deorum cultui impense dediti? Hæc, si omnia complectamur, Virgines deterrere potius, quam persuadere ad suscipiendam peregrinationem jure debebant.

Pergis deinde auctorem tuum mutilum porro interpretari, & *nodum*, ut ais, *nondum certe Gordium solvere*. Bona tamen tua venia, nihilo felicius. Postquam enim Virgines jussu Maximi Pupieni trucidatas ex mente Anastasii Bibliothecarii ab tuo auctore referri ostendisses, continuo hæc subjungis: EE) *ipse vero* (hoc est, auctor tuus mutilus) *constanter sentit, atque perhibet, ab Sunnis sub obsidione Colonienſi jussu tyranni Maximini martyrio fuisse adfe-*

EE) Dissert. tua apolog. pag. 19.

fectas. Colonia quippe, declarato imperii hoſte Maximino, in fide Senatus permanſerat, quam proinde tyrannus per Julium Sunnorum Principem arcte obſideri juſſerat. Maximinus, tametſi, cum primum tyrannidem arripuit, Romani ab eo vehementer abhorrerent, tamen hoſtis imperii palam declaratus primum tum eſt, cum ad Sirmium ageret, anno Chriſti CCXXXVIII. Cum ergo diſerte dicas, Virgines in obſidione Colonienſi a Julio Sunnorum Principe trucidatas, Coloniam vero obſeſſam perhibeas Maximino hoſte imperii declarato; conſectaneum omnino eſt, Virgines anno Chriſti CCXXXVIII martyrio affectas eſſe. Revoca tibi jam in memoriam, quod auctor tuus mutilus habet, nimirum, morem Francis familiarem fuiſſe, uti annos ab Incarnatione, non item Nativitate ducerent, itaque additis æræ vulgari IX menſibus, videbis, hiſtoriam martyrii affigendam fuiſſe anno CCXXXVIII, non item CCXXXVII. quod jam ſupra a me commonſtratum fuit. Quamobrem argumenti robur, quod a diſcrimine hiſtoriæ martyrii, & lapidis ſepulcralis petieras, admodum tenue, varium, & ambiguum eſt.

Verum hæc extima ſolum videri poſſunt, & in eum finem a me, fortaſſe tamen, ut nonnullis videbitur, prolixius allata, ut planum facerem, auctorem tuum mutilum non perinde, ut reris, connexe, erudite, & congruenter ſcripſiſſe; itaque fidem aut nullam, aut exiguam apud Criticos merito ſuo obtinere poſſe. Nunc ad intima aggrediamur. Neque opus mihi erit, ut tu loqui amas, *catapultis* agere. Nam hoc armorum genere ad ſubruenda firmiſſima munimenta veteres utebantur, ego velitatione rem omnem ſpero a me confectum iri.

Auctor tuus mutilus, quem ego hactenus intra XIV, & XVI ſeculum floruiſſe putabam, multo recentioris ævi eſt, & commode ad medium ſeculi XVII rejiciendus. Cum enim Cluverii auctoritatem de Sunnicis populis, eorumque ſitu adducat, neceſſe eſt Cluverio aliqua temporis parte poſteriorem fuiſſe. Exceſſiſſe autem Cluverium ex humanis anno Chriſti M. DC. XXIII, extra dubium eſt: ff) igitur auctorem quoque tuum oportet Scriptorem eſſe, ut parce dicam, ſeculi XVII. Legerat is in Lampridio, & Capitolino, ut ipſe fatetur, martyrium Virginum ad Alexandri, aut Maximini ætatem affigi debere.

Nihil

ff) Freherus, Buddeus, Königius, Witenius, & Menken.

Nihil autem ſive in Lampridii, ſive Capitolini operibus iis, quæ exſtant, de hoc martyrio mentionis fieri, tu ipſe Vir Clariſſime diſertis verbis affirmas. Quare alterutrum conſequi neceſſe eſt: aut nunquam legiſſe auctorem tuum in Lampridio, & Capitolino id martyrium, quod ſingulari impoſtura non careret, aut legiſſe in Lampridii, & Capitolini aliquo opere, quod nobis temporum injuria ſubtraxit. Poſtremum id tibi vehementer placet, dum ſcribis: gg) *ſupponi proinde debet, auctorem Romæ repertum in aliis eorum* (hoc eſt, Lampridii, & Capitolini) *monumentis legiſſe de martyrio Virginum, quoniam in teſtes accerſat.* Verum ſi hac ratione fidem auctori tuo conciliare velis, non erit facile liber apocryphus, aut ſuppoſitus, quem non genuinum eſſe evincam. Libet uti exemplo: Finge me MS. inſtrumentum habere, ab auctore ſeculi XVII confectum, in quo veteris Latii deſcriptio contineatur, idque auctor meus ex Ovidii carmine geographico, quod Libris VI complexus ſit, ſe accepiſſe teſtetur. Quæro, quid tibi de auctore meo videretur? nonne, ut es in Poetica mire exercitus, mirarere primum, tum hunc in modum opponeres: atqui inter

gg) Diſſert. tua apolog. pag. 8.

Ovidii opera nullum ejuſmodi carmen geographicum exſtat. Quid tum? regero tibi ita arguenti, atqui ſupponi debet auctorem mei MS. id in alio Ovidii opere, non vero in iis, quæ hodie exſtant, legiſſe. Cedo, quid eſt diſcriminis inter hanc meam, & tuam de auctore mutilo argumentandi rationem? hoc, inquies, quod auctor tuus præterea in teſtes accerſat. Atqui MS. meum in teſtes accerſit Strabonem, Melam, & Solinum. Num ideo fidem auctori meo haberes? non putem: ſed, ut Critici ſolent, id ante omnia quæreres, an Strabo, Mela, Solinus hæc ſe ex Ovidii carmine geographico accepiſſe teſtentur, quia, cum ab Ovidii ætate haud longe abfuerint, in teſtium numero illos eſſe patereris. Sin autem intelligeres nuſpiam ab his Ovidiani illius carminis mentionem fieri, jure auctori meo, tanquam impoſtori, fidem derogares. Idem tibi Clariſſime Vir de auctore tuo dictum puta: Cum enim Vincentius Belovacenſis, ceterique, quos iſthic auctor tuus recenſet, etſi martyrii quidem hujus meminerint, non tamen fateantur ſe id ex Lampridio, & Capitolino accepiſſe, auctori tuo teſtium horum gratia haud major, quam auctori meo fides habenda erit.

Hæc

Hæc, ut rem exemplo illuſtrarem: revertamur ad velitationem. Auctor tuus mutilus, cum ſcriptor ſit ſeculi XVII, & fateatur ſe martyrium id in Lampridii, & Capitolini opere, ſed ALIO, ut tibi videtur, opere, quam quod hodie exſtet, legiſſe, fatetur niſi fallor id ſe legiſſe ſeculo XVII; itaque opus hoc ALIUD neceſſe eſt exſtitiſſe ſeculo XVII: id puto mihi non negabis. Cum autem Lampridius, & Capitolinus floruerint ſeculo III, aut ineunte IV, conſectaneum eſt, ALIUD illud opus eodem ſeculo III, aut ineunte IV ſcriptum eſſe. Ab hoc ſeculo ad auctoris tui mutili ætatem evoluta ſunt ſecula XIII, poſt auctorem tuum ad noſtrum uſque ævum, ut large dicam, fluxit ſemialterum ſeculum. Hæc tam liquida ſunt, ut neque conjectura, nec ratione egeant. Obſecro te Clariſſime *Deſerici*, jam nobis narra, qui factum ſit, ut ante auctorem tuum mutilum nemo ſcriptorum per XIII ſecula ALIUD illud opus Lampridii, & Capitolini, in quo hiſtoria de Virginum martyrio contineatur, viderit, legerit, aut illius meminerit? nemo itidem poſt auctorem tuum ad noſtram uſque ætatem illud ipſum ALIUD opus viderit, legerit, ac illius meminerit? nemo unus. Tu tamen

id

id ab tuo auctore mutilo lectum fuiſſe ais, pugnas, contendis. Quis credet? ſine, ut regeram tibi illud, quod in me præpropere torſeras: *credat Judæus Apella.*

Non poſſum hoc loco illud præterire, quod ex auctore tuo mutilo argumentum ad omnes Scriptores Societatis meæ traducas, velisque arguere, nemini horum fidem tribuendam eſſe, ſi tuo auctori non tribuatur, ſiquidem illi perinde, atque tuus auctor, ſeſquitertium ſeculum non exceſſerint. Ego, eruditiſſime Vir, nunquam ita exiſtimavi, ut fidei hiſtoricæ firmamentum ab ſola vetuſtate repeterem, etſi permultum interſit, quam vicinus temporibus iis, quorum res ſcribit, auctor fuerit, abfueritque: ſed a vetuſtate, ceterisque, quæ Hiſtorico ineſſe debent, puta, ex quibus fontibus ſua hauſerit, rectene res geſtas temporibus affigat, num ſibi congruat in narrando, ſitne conſentiens aliis idem ſcribentibus, & ſi quæ ſunt ejuſmodi præterea. Quod ſi horum quidpiam, aut majori ex parte deſit, ſive alius, ſive Scriptor ſit Societatis meæ, tanti profecto mihi non eſt, ut fidem ab me extorqueat. Poteras id Clar. Vir, ſi meos annales legiſti, manifeſtis indiciis deprehendere, qui *Petavium, Inchoferum, Henſchenium, Froelichium,*

Han-

Hanſizium, *Calleſium*, *Timonem*, *Farlatum*, & *Szentivanium*, omnes e Societate mea, & viros quidem in re litteraria cum laude orbi erudito cognitos, ſive oſcitantiæ, ſive, ut fit in rebus humanis, lapſus etiam cum libertate arguerim, quæ modum tamen, ut puto, non excederet: quoniam ſcribenti res hiſtoricas ratus ſum majorem ſemper rationem ducendam eſſe veritatis, quam amicitiæ.

Id per modum diverticuli: redeo, etſi olus, ut more tuo loquar, ſemel atque iterum a me recoctum palato tuo non arrideat, redeo tamen ad auctorem tuum mutilum: qui cum Scriptor ſit ſeculi XVII, ſeque fateatur martyrium D. Urſulæ, & Sociarum legiſſe in Lampridii, & Capitolini opere, quod ante illum XIII ſeculorum ſpatio nullus vidit, neque poſt illum ad noſtram uſque ætatem ullus vidit, præterea res nec congrue, nec erudite nec connexe, quin, ut puto me ſupra commonſtraſſe, imperite etiam narret; non dabis mihi id vitio Clar. Vir, ſi nec cædem Virginum ad eam ætatem, quam tu cum auctore tuo mutilo ſtatuis, affigi patiar, nec ab Sunnicis populis trucidatas concedam. Id quod ego in prima annalium parte argumentis Worburgi utcunque co-

natus ſum adſtruere. Pupugit ea te res, ut non obſcure innuis, magnopere, quaſi eum virum, quem tu heterodoxum fuiſſe ſcribis, tibi antepoſuerim. Non auſim ego Worburgum inter heterodoxos relegare, quem certum eſt, Præpoſitum Monaſterienſem, & Archi-Epiſcopo Moguntino ab intimis conſiliis fuiſſe. Quod ſi autem, ut tu fidenter prorſus ſcribis, heterodoxus erat, non ego te illi, ſed illius rationes tuis contendebam. Et cur mihi hominis, tua opinione, heterodoxi argumentis uti non liceat in re, de qua primum univerſe quæritur, factane ſit, an contra, tum ſingilatim, quo tempore facta ſit? quando ejuſmodi quæſtiones ad fidem ſolum hiſtoricam, non item dogmaticam attinent. In hac me profiteor omni heterodoxo adverſarium, in illa ut me heterodoxus conſentientem ſibi habeat, nec Divina, nec humana jura vetant.

Ne quid tamen diſſimulem, recte me hoc loco erroris, aut oſcitantiæ potius, arguiſti, qui, cum ex *Worburgo* argumentum peterem a ſilentio *Sulpitii Alexandri*, *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Oroſii*, & reliquorum, quos iſthic adduco, adjecerim eos ſeculo poſt floruiſſe. Nolo me ſimili, ut tu

HH) in re pari feceras, clipeo tueri, & ad MS. meum recurrere: nullo tamen negotio conjicies memoriæ lapsum esse, cum alio loco contra Eminentissimum *Baronium*, qui cædem Virginum ad annum Christi CCCLXXXIII affigit, eodem argumento usus fuerim. Quamquam si verba mea rite intellecta velis, facile me ab anachronismi crimine absolves. Nuspiam ego illic *agmen scriptorum*, ut tu ais, sed non definite scriptores seculo post floruisse perhibeo. Constat autem sententiæ meæ veritas, vel te fatente, quod bona auctorum pars, quos isthic recenseo, seculo post floruerint. Cum enim ponas martyrium evenisse CCXXXVII, itaque seculo III, Sulpitium vero Alexandrum, Ambrosium, Hieronymum, & Prosperum Aquitanicum floruisse seculo IV exeunte, vera est ex parte assertio mea, cum scripsi auctores, nemine singilatim designato, seculo post annum CCXXXVII floruisse.

Postularet hic locus, ut quæ ego de hoc martyrio verisimilia existimaram, adversum te confirmem. Verum quia id argumentum in annalibus meis semel, atque iterum a me tractatum est, ut puto, non indiligenter, neque meas conjecturas a te con-

HH) Differt. tua apolog. pag. 9.

convulsas in Dissertatione tua video; utique veniam mihi dabis, si lectori porro molestus esse propterea nolim. *Callesium* tamen, virum e Societate mea vere doctum, ne illius memoriæ posthumæ mea desidia obsim, tuendum suscipio, tametsi meas quoque hic partes acturus sim. Martyrium D. Ursulæ, & Sociarum cum *Callesio* ad Attilana tempora adduxi contra, quam Eminentissimus *Baronius* fecerit. Hic tu quæris doctissime Vir, *quo tandem supremo, atque potissimo firmamento* jj) Attilam, ejusque milites Virginum carnifices fecerim? respondes tibi, nam ego cum *Callesio* nunquam ita arbitratus sum, respondes, inquam, tibi non minus facete, quam acute: *conjectura Callesii tui. Putat, conjectatque Callesius, ergo verum est. Credat, qui volet.* kk) Nunquam ego sic rationem duxi, sed hunc in modum: eædem Virginum ad Attilæ tempora revocandam esse *Callesius* ob rationes verisimiles ostendit; igitur verisimile est, id martyrium Attilæ temporibus evenisse. Aliud verum esse, aliud veri simile omnes norunt. Illud ab neutro nostrum affirmatum fuit, hoc conjecturis duntaxat stabilitum. Quas si Dissertationi tuæ inseruisses, omissurus profe-

jj) Dissert. tua apolog. pag. 20. kk) Ibid.

fecto eras illud, quod despicatui proximum est, *credat, qui volet.* Neque, quod tu existimas, *Callesii* conjecturæ Maximini temporibus quadrant. Nam quod Attila *religionem Christianam ex proposito haud adflixerit, - - Christianos a manu, a secretis, a legationibus habuerit, Lupum Trecensem Episcopum uti amicum circumtulerit - - - Leonem Pontificem cum uno Consulum - - - apud Mincium amnem benigne, ac honorifice receperit, - - -* LL) hoc unum evincit, Attilam benignum se nonnunquam Christianis quidem præbuisse, minime autem, Virgines ab ejus militibus non potuisse trucidari; ut nemo fere ab Duce, qui sanguinarius non sit, & ab spoliis præterea sibi mirifice temperans, argumentum ad milites quoque traducet, quos constat prædarum, & cædium cupidine ita abripi, ut Ducis mandata, quibus gravissime ab inferenda injuria coercentur, insuper habere soleant.

Jam partem hanc controversiæ, quæ mihi tecum intercedit, confectam rebar, cum illud ex improviso occurrit, quo me apud populares meos in invidiam adducere volebas, ita me alloquens: MM) *at tu denique nescio an amore veritatis, quæsane imbecilla tibi hac in re adest, an minore*

LL) Ibid. MM) Ibid.

in gentem noſtram affectione, cum tamen Hungarum te eſſe quodam loco ſignifices, internecionem gracilium agnarum Magno Attilæ, ejuſque militibus adfricas. Quæ mihi hac in re adſit veritas, puto Lectorem cum ex iis, quæ ſupra in medium attuli, tum ex meis annalibus, ſi eos legit, intellexiſſe. Hungarum autem me eſſe, non uno loco, ſed pluribus affirmo, & magnam me in eo felicitatis partem reponere palam aſſevero, Hungarum me, etſi non Hungaris, ſed Germanis parentibus, ortum eſſe. Quodſi quid ea in re labis, ut ita dicam, originariæ me contraxiſſe putes Vir Clariſſime, abſterſurum quoque putare debes, cum quidquid in me opellæ eſt, & virium, illuſtrandæ Patriæ meæ, hoc eſt, ne quid erres, Hungariæ impenſurum me deinceps pollicear. Non tamen id hoc loco agitur: ſed an Attilæ hanc cædem affricuerim. De Attila quid eatenus ſentiam, quoniam ſubtices, ex annalibus meis exſcribam. *Verum an Attila jubente,* (ſic iſthic ſcribo) *an, quod potius reor, militari ſuorum licentia ea cædes patrata ſit, nihil eſt proditum. Certe, ſi quis animum Attilæ non niſi magna molientem, ſi bellis aſſuetum, & accepta etiam injuria a cæde temperantem conſideret, haud illo adduci poterit, ut ejus*

im-

imperio inerme, & innoxium Virginum vulgus trucidatum ſibi perſuadeat. NN) Hæc ego in annalibus: neque puto te iſthinc conficere, Attilam Virginum carnificem exſtitiſſe. Quodſi parti cuidam militum tribuo eam cædem, tribuo ſolum parti exercitus Attilani, in quo cum Gothi, aliæque gentes ſtipendia tum meruerint, poterat ab his quoque cædes imprudente Attila patrari. Denique ſi Hunnorum etiam parti tribuerim, nemo cordatus id mihi fraudi vertet, qui paucorum vitia ad totam gentem traducere non conſverunt. Atque hæc de martyrio Virginum ſatis dicta ſunto: quoad ab Hagiographis Antverpienſibus, ad quos id argumentum attinere in annalibus meis Lectorem commonefeci, certius quiddam in lucem educatur.

§. III.

De Attila, ejuſque rebus geſtis.

TErtium Diſſertationis tuæ caput fere res ab Attila geſtas complectitur. De hoc in hæc verba ſcribis: oo) *hunc ego ante te vivis coloribus adumbraſſe viſus ſum per-*

NN) Parte I. Lib. IV. pag. 159. & 60. oo) Diſſert. tua apolog. pag. 15.

multis, tu Zeuxis Parhasio certaturus, nova cura manum tabulæ admovisti, & portentum illud regum denuo describis. Discernat Lector acutius cernens, an tu elegantius, ac plenioribus lineamentis, & magis ad prototypon accedentibus. Non intelligo, quid tibi cum Parrhasio, & Zeuxi velis: hunc scio ab illo pingendi peritia victum fuisse. Parrhasii laudem, quoniam ita vis, libens tibi permitto; mihi contra, qui nunquam eum ob finem scribendis annalibus me accinxerim, ut tibi certarem, necesse non est Zeuxis partes agere. Ceterum puto Attilam ita ab me adumbratum fuisse, ut Principem illis temporibus neque in re militari, nec politica superiorem habuisse videatur, quod Lector ex charactere, quem mihi in annalibus præstitui, facile intelliget, quin a me solicitius propterea commonefaciendus sit.

Tria autem sunt, in quibus nobis non convenit. Primum de anno aditi regni, &, quod istinc fere consectaneum est, de ætate Attilæ. Alterum de campo Catalaunico, in quo memorabili post hominum memoriam prælio inter Attilam, & Aetium pugnatum est. Tertium de tempore obsessæ, & expugnatæ Aquilejæ. Hæc eadem, qua proposui, serie exequar.

Ego

Ego annum, quo Attila paternum regnum adierit, constitui CCCCXXXIV; tu contra CCCCXXIX, aut XXX. Reddis sententiæ tuæ rationem in hæc verba: pp) *Plinthas quippe Consul imperii Orientis destinatus fuit Legatus ad Rovam anno CCCCXXIX.* (peto, ut hoc tibi non sinas e memoria elabi) - - *hanc autem legationem exequi haud valuit ob intervenientem mortem Rovæ* - - - . *Inde cum Rova mortuo illico regnum Hunnorum totum, & integrum ad Attilam perveniſſet, teste Prisco Rhetore* - - *Senatus Constantinopolitanus decrevit, ut Plinthas eandem legationem ad Attilam Rovæ successorem exequeretur, quod & præstitit* - - - . *Clara igitur consecutio est, Rovam fatis cessisse anno CCCCXXIX, quo ad se legatio destinata fuerit, aut certe anno CCCCXXX ineunte, vel decurrente.* Quam clara hæc consecutio sit, paullum post in conspicuo erit. Prius tamen monendus mihi es doctiſſime Vir, nuſpiam me Consulatum Plinthæ ad annum CCCCXXIX affixiſſe, sed Dionysii, qui Plinthæ ad obeundam legationem socius designatus fuit. Plinthæ enim Consulatus incidit in annum CCCCXIX. Itaque non Consul, sed veterum more Con-

pp) Dissertat. tua apolog. pag. 15. & 16.

sularis scribendus erat. Nunc, cujusmodi tua consecutio sit, videamus. Anno CCCCXXIX Consulatum gessit Dionysius; isto pro obeunda legatione ad Hunnos destinato, Rova Hunnorum Rex extremum diem obiit, itaque Rovam mortuum esse anno CCCCXXIX, & huic, quod consectaneum est, Attilam successisse, dubitari non potest. Hunc in modum tu arguis; nec male, si modo certum sit, Dionysium eodem anno, quo Consulatum gessit, Legatum ad Rovam destinatum fuisse. At si legatio hæc post gestum Consulatum, & quidem aliquot post annis destinata fuit, liquet omnino, nec Rovam mortuum esse anno CCCCXXIX, nec Attilani imperii principium ab hoc anno repeti posse. Audiamus Priscum, qui ea ætate Constantinopoli vixit. *Romanis vero* (scribit ille) *consilium de mittendis ad Hunnos Legatis capientibus, Plinthas, & Dionysius, hic ex Thracia, ille ex Scythia oriundus, ambo exercituum Duces, & qui Consulatus dignitatem apud Romanos* GESSERANT, *hanc legationem obire voluerunt.* qq) Audis utrumque, postquam Consulatum GESSERANT, ad obeundam legationem destinatum fuisse, igitur post annum CCCCXXIX.

Quo

qq) In Excerptis Legat. pag. 32.

Quo autem re vera anno, Priſcus diſerte non exprimit. Tu anno CCCCXXX, idque ſatis ambigue, contendis, ego CCCCXXXIV. Tu, cur ita ſentias, nihil rationis affers, ego auctoritate me tueor. Nam Tiro Proſper in chronico ſuo, Hadrianus Valeſius, & Tillemontius, ſcriptor eorum, quos recens ævum tulit, facile accuratiſſimus, Rovæ mortem affigunt ad annum XI poſt Honorii exceſſum: exceſſit autem Honorius anno CCCCXXIII, ut certum eſt omnibus; itaque Rovam fatis functum oportuit anno CCCCXXXIV. Quia autem Priſcus eodem anno, quo Rova obiit, legationem ad Hunnos deſtinatam ſcribit, recta conſecutio eſt, Plintham, & Dionyſium anno CCCCXXXIV Legatos deſtinatos fuiſſe. Quam ob rem cum Priſcus perhibeat Attilam defuncto Rovæ in paterno regno ſucceſſiſſe, concedes mihi id Vir doctiſſime, &, ut puto, non invitus, Attilam anno primum CCCCXXXIV regnum paternum adiviſſe.

Iſthinc judicium de ætate Attilæ nullo pene negotio conſtituitur. Ego, quoniam de anno, quo natus ſit, nihil certi conſtare poteſt, exiſtimavi Attilam, cum regnum adiit, non fuiſſe tricennario majorem. Conjecturam ſic duxi: Cum cer-

tum sit ex Prisco, & Jornande, Octarem & Rovam a morte Mundzuchi constitutos, ut Attilæ & Bledæ tutores essent, verisimile est Attilam a morte patris non fuisse majorem vicennario. Probabile autem est ex Scriptorum testimoniis, mortuum Mundzuchum esse ante annum CCCCXXVIII, tametsi certum non sit, quo præcise anno: igitur Attilam ante annum CCCCXXVIII non fuisse vicennario majorem itidem probabile est. Abhinc autem ad annum CCCCXXXIV non effluxit decennium integrum: quare proximum vero est, anno CCCCXXXIV, quo paternum regnum adiit, non fuisse Attilam tricennario majorem. Jam si præterea annos, quibus imperio apud Hunnos usque ad annum CCCCLIV potitus fuit, censeas, prorsus recte sequitur, ut in annalibus consignavi, Attilam, cum e vivis eriperetur, non fuisse majorem quinquagenario.

Id quod te quoque fatente mox apertius conficiam, si prius, quid tu de ætate Attilæ sentias, explanaro. Tomo III. Commentariorum tuorum ita scribis: RR) *Plerique eruditiores tanquam id, quod exploratum sit, recipiunt, supremum illi vitæ annum contigisse CCCCLIV æræ Christianæ*

RR) Lib. IV. Part. I. Cap. VII. pag. 111.

næ nato annos LVI. Viros autem hos pleroſque eruditos paullum infra in calce adjicis, ss) Coccium Sabellicum, Philippum Callimachum, Juvencum Cælium Calanum, ac Sciagraphiam Ducum, & Regum Hungariæ. Hinc argumentum ducis, Attilam *circiter annum CCCXCVII, aut ipſo anno Chriſti CCCXCVIII, peritiorum calculo* tt) in lucem fuiſſe editum. Revocas deinde Lectorem, ad anacephaleoſin Tomi tui II. Libri III, ubi ad annum Chriſti CCCLXXVIII ita memoras: uu) *at Coccius Sabellicus, Philippus Callimachus, Juvencus Cælius Calanus Dalmata Attilam probabilius exiſtimant vixiſſe duntaxat LVI annos.* Hæc ſunt, quæ de ætate Attilæ adducis, nihil præterea. Videris mihi Clariſſime Vir lupum, quod proverbio fertur, utraque aure arripere. Etenim ſi quæram ex te, quot annorum Attilam fuiſſe cenſeas, dum e vivis exceſſit; reſpondes LVI, quoniam anno Chriſti CCCXCVII, aut ſequente in lucem editus ſit. Si rurſum quæram, quo argumento evincis, Attilam anno CCCXCVII in lucem editum eſſe, non habes profecto aliud, quod afferas, quam Attilam anno Chriſti CCCCLIV

ss) Ibid. in Not. ad Lit. q. tt) Ibid. pag. 110. uu) pag. 187.

obiiſſe natum annos LVI. Et quo firmamento id fulcis? Sabellici, Callimachi, & Calani. Quæro, hi ex quo fonte id habeant? neque enim rationem, nec auctoritatem, nec coniecturam afferunt. Itaque his, qui ab Attilæ temporibus longiſſime aberant, plus fidei tribuis, quam Civibus Argentoratenſibus, qui, cum Attilam præſentem intuiti ſunt, & hujus ætatem ex vultu probabiliter conjicere poterant, hanc de illo, ut tu refers, inſcriptionem urbis portæ incidi fecere: *A. V. æta. XLVII.* hoc eſt, ut tute ſupples: *Attila Unnus ætatis quadrageſimo ſeptimo.*

Non quæro, qua fide hæc referantur: ſi tamen verum ſit, ut cum *Bebamb* Juris Conſulto credis, eam inſcriptionem Attilæ poſitam eſſe, ita arguere mihi libet: Attila, dum Argentoratum expugnarat, annum ætatis egit XLVII. Expugnatum vero Argentoratum eſt anno CCCCLI, cum Attila in Gallias expeditionem ſuſceperat. Divina jam quot annorum Attila fuerit, Vir eruditiſſime, anno CCCCLIV, dum mortem obiit. Putaſne quinquagenario majorem fuiſſe? planiſſime, inquis. At ſi anno Chriſti CCCCLI egit annum ætatis XLVII, utique anno CCCCLIV, quo ex humanis ereptus eſt, major quinquagenario

rio esse non poterat? immo vero fuit. Quam ob rem? quia diem clausit annos natus LVI. Verum Cives Argentoratenses anno Christi CCCCLI hanc illi epigraphen posuere: *Attila Unnus ætatis quadragesimo septimo*: hinc calculum ini ad annum Christi CCCCLIV. Quid tum? recte quidem, inquies, conficis isthinc, Attilam, cum obiit, non fuisse quinquagenario majorem; mihi tamen videtur omnino senior. Audio, sed oro te Clarissime Vir, redde causam. *Etsi*, reponis, *Argentoratensibus, dum urbem eorum cepisset, XLVII annorum fuisse visus sit, tamen re ipsa quatuor plus minus annis provectior fuerit, ita, ut anno Christi CCCCLIV, vel V excedens, ætatis quinquagesimo sexto, eoque Climacterico elatus fuisse credatur Coccio Sabellico, Philippo Callimacho, Juvenco Cælio Calano Dalmatæ, Belio Pisonienſi,* xx) *auctori Sciagraphiæ Ducum, & Regum Hungariæ.* Nunc demum assequor, cur contra quam Civibus Argentoratensibus visus sit, quatuor annis senior Attila fuerit, nimirum, ut Coccio Sabellico, Callimacho, ceterisque multa post secula victuris videre-

xx) Belius tamen nuspiam scribit Attilam 56. annorum fuisse, sed non definite majorem quinquagenario, & octogenario minorem.

retur elatus fuisse anno ætatis LVI, eoque climacterico. Male sit anno illi climacterico, qui Attilam ultra quinquagesimum sextum annum vitam producere non siverat: neque magnam Civibus Argentoratensibus gratiam historici habebunt, quod eum quatuor annis, quam re ipsa fuerit, juniorem existimarint.

Sed his in medio relictis, ad campos Catalaunicos veniamus. Hos ego in Belgica II cum *Savaro* & *Belio* constitui, haud procul urbe Catalauno. Rationes, quibus adductus sim, ut laudatis Scriptoribus consentirem, longum esset hoc loco repetere, quas prolixe satis annalibus meis inserui. Tu contra campos hos ad Tholosam locas, &, ut id non modo intelligi, sed etiam *palpari queat*, yy) Aetii epistolam ad Consules Romanos datam profers, in hæc verba conscriptam: zz)

AETIUS PATRITIUS CONSULIBUS ROMANIS.

MAximis itineribus in Galliam veni, Legionesque nostras ad Tholosam cum Theodorico Vesegothorum Rege, ac ceteris conjunxi. Quod ubi primum Attila rescivit, relicta Aurelianensi obsidione propius nostros

yy) Dissert. tua apol. pag. 17. zz) Ibid.

ſtros exercitus acceſſit, ac copiam pugnandi fecit. Sperabat autem barbarus hoſtis prælium ſibi ex ſententia eventurum, cum per vatum reſponſa fortunam belli ſciſcitatus, cædem imperatoris Legionum noſtrarum ſperaret. Pugnatum eſt magno ardore animorum, diu neutra acie inclinante, aut cedente: ſed tanta hoſtium cædes facta eſt, ut cadaverum montibus ſepti videremur. Verum nox ſuperveniens prælium diremit. Ad centum octoginta millia hominum in acie utrinque ceciderunt, victoreſque maxima gloria evaſimus, ita tamen, ut egregie pugnans in altero cornu Theodoricus ceciderit. Attila fractus, & fugatus in ſua regna ſe recepit. Thoriſmundus filius quam primum receſſit, veritus, ne cognita parentis nece a fratribus regno ſpoliaretur. a) *Nos reliquias exercitus inſtauramus, ac ſperamus fore, ut pacata Gallia, & provinciis omnibus, longo ocio, ac quiete fruamur. Valete. Ex caſtris ad Tholoſam.*

Dum epiſtolam hanc primum legerem, damnavi credulitatem meam, qui Si-

a) Regiam ſedem Veſegothi Toloſæ habebant. Si ergo ad Toloſam pugnatum fuit, quid habuit Thoriſmundus, quod metueret, ne ſibi regnum a fratribus eriperetur, quibus nec copiæ ad manum, nec otium eas colligendi fuit.

Sidonio auctori plane illius ævi, *Gregorio* Turonensi scriptori pene suppari, *Savaro*, *Belio*, ceterisque, qui mecum sentiunt, tantum detulerim, ut campum Catalaunicum in Belgica II statuerem. Verum postea, quam litteras has majore cura volvissem, multa mihi occurrere, quæ dubium obmoverant, verene Aetii hæc epistola esset, an illi suppositа? postremum hoc multis de causis mihi verisimile fit. Primum enim Latium purius est, quam ceteroquin seculum V post frequentatas barbarorum in Italiam procursiones communiter tulerit. Deinde Consules Romani nominatim non exprimuntur, neque dies, quo datæ sint litteræ; quod tamen, ut ex Sidonii, & Cassiodori epistolis liquet, eo tempore usitatum fuit. Ad hæc mirum est, epistolam Coss. Romanis inscriptam, &, ut ex locorum intervallo pronum est conjicere, Romam fuisse missam, cum anno Christi CCCCLI Romæ solus Adelphius, Marcianus vero Augustus Constantinopoli Consulatum gesserint. Prætereo id, quod Aetius definito numero scribat, utrinque ad centum octoginta hominum millia cecidisse. Scripsit enim epistolam, ut tu opinaris, illico post prælium. Prælium nocte diremtum est. Postridie autem, ut ha-

habet Jornandes, b) *bellicosissimus Rex* (Attila) *victores suos turbabat inclusus.* Qui ergo tantum otii, & temporis Aetius nanciſci potuit, ut cæſorum numerum tam definite iniret? Neque illud veritati conſentaneum, quod Attilam fractum, & fugatum in ſua regna ſe recepiſſe ſcribat Aetius; cum conſtet Attilam a prælio Catalaunico in Tungros, & Trecenſes moviſſe. c)

Hæc ſunt Clariſſime Vir, quæ, ſi mihi non perſuadeant, ſuppoſitam hanc epiſtolam eſſe, dubium certe magnum obmovent, num genuina ſit. Adde, quod inter opera Hieronymi *Doncelini*, quæ *Jöcherus* diligenter recenſet, nuſpiam liber, cui titulus: *Epiſtolæ mundi procerum*, reperiatur. Nam præter traductum ex Græco Galenum de Ptiſana, & VIII ſermones Themiſtii in Latium, edidit conſilia medica ſui Magiſtri Montani: tum de natura, cauſis, & legitima curatione febris peſtilentis: conſilia item, & epiſtolas medicas, quas Laurentius Scholze collectioni ſuæ inſeruit. Fertur quoque remedium ferendarum injuriarum, ſeu opuſculum de compeſcenda ira ſcripſiſſe, nihil autem, quod ſciam, præ-

b) De reb. Geticis. Cap. 40. c) Hadrianus Valeſius rum Franc. Lib. IV.

præterea. Quare merito ſuſpicor, epiſtolam non ſatis probatæ fidei eſſe, quod tu itidem Tomo V. Commentariorum tuorum clare inſinuas. d) *Quamquam omnino* (ſcribis iſthic) *epiſtola videtur data opera compoſita, uti verbi cauſa epiſtolæ Heroidum Ovidii.* Magno me metu liberaſti, quod Aetii epiſtolam Heroidum Ovidii epiſtolis ipſe æquipares. Quamquam id ſi non eſſet etiam, ſatis perſpicue ex tuis verbis conficerem, *epiſtolas mundi procerum* Doncelini non eſſe. Etenim ubi laudatam Aetii epiſtolam Diſſertationi tuæ inſeruiſſes, ſubjungis in hæc verba: *Communicavit illam cum orbe Hieronymus Doncelinus, inſertam codici, cui titulus: epiſtolæ mundi procerum - - - Venetiis Anno 1574.* Certum autem eſt, ſi *Jöchero* fides, *Doncelinum*, ubi Breſcia pulſus Venetias conceſſiſſet, iſthic ob læſam graviſſime cum Divinam, tum humanam majeſtatem aquis merſum eſſe anno M. D. LX. Neceſſe igitur eſt, *Doncelinum* quatuordecim annis poſt, quam aquis merſus eſſet, librum hunc epiſtolarum cum orbe communicaſſe. Credo ego *Doncelinum*, ut aliquid quoque epiſtolis Heroidum affine adferam, in campis Eliſiis Aetium convenisſe, atque

d) In animadverſionibus tuis pag. 271.

atque isthic quæsiisse ex eo, quem in modum res in campo Catalaunico gestæ sint, Aetium vero jam letheis aquis potatum, omnium pene, quæ gessisset, oblitum fuisse.

Hæc poetarum more joculariter. Transeamus ad obsidionem Aquilejæ. Hanc ego semialterum mensem, aut paullum minus tenuisse scripsi: neque muto sententiam. *Si enim ineunte Martio in Italiam ex Pannonia Attilam movisse ponimus, verisimile est, & ob immensum, quem secum trahebat, militem, & ob directa, subjugataque Illyrici, Liburniæ, & Istriæ oppida mensem elabi potuisse, prius castra quam ad Aquilejam poneret: itaque initium obsidioni calendis Aprilibus datum fuerit. Hic si jam tres menses, quod Belius conjicit, Attila adhæsit, & in Julii principio, ut ex Tillemontio notavi, pax cum Valentiniano, agente Leone confecta est; plane nihil reliquum temporis erit, quo Liguriam, &, quæ cis Padum est, Italiæ partem percursari ab Hunnis potuisse statuamus, quam probabile non est, obsidionis tempore, quod & longinqua esset, & Aetius citra Romam cum exercitu excubaret, vastatam ab Attila fuisse. Quam ob rem Aquilejensis obsidio semialterum mensem, aut paullum minus, ut suis omnia temporibus commode*

reddi possint, producta fuerit. Hæc ego iisdem verbis in annalibus: E) quæ tibi asserenti eam obsidionem in tertium annum productam fuisse, prorsus inprobabilia videntur. Audiamus, quomodo evincas obsidionem in tertium annum perduravisse. *Heic ego iis te revinco*, scribis, F) *quæ tu omnino haud inficiaris. Dic igitur sodes, an cives Aquilejæ, intellecto Attilam imminere Italiæ, commeatum omnem ex amplissimo ditionis suæ agro continuo non invexerint, - - - an hoc fine, quo videlicet victualia diutius suppeterent, senes imbelles, morbidos, uxores usque & liberos in insulas lacunæ Adriatici, ubi nunc Venetiæ sunt, non deportarint? an protracta diu admodum obsidione acervatum maximum commeatum in duos amplius annos sufficturum non absumpserint, & inde fame vehementer laborare non cœperint? imo vero tute ipse id ais. An porro sub diuturna oppugnatione Attila in propinquo urbi campo Utinum civitatem - - - a fundamentis non ædificaverit? an in ejus medio miræ magnitudinis montem, ut inquit Otto Frisingensis, non congesserit - - - Hæc certe singula recipis, atque affirmas.* Ego vero nihil istorum, aut non hoc

E) Pag. 165. & 66. F) Dissertat. tua apolog. pag. 21. & 22.

hoc modo, quod tu tibi persuades, unquam recepi. Negavi enim senes imbelles, morbidos, uxores, & liberos Aquilejensium in insulas lacunæ Adriatici, ubi nunc Venetiæ sint, deportatos, sed Gradum ad ostia Natisonis fluvii sitam, & spatio bene magno Venetiis distantem, ut *Blondus* memorat. Negavi commeatum maximum, & in duos annos suffecturum urbi importatum fuisse; quoniam haud multo post obsidionem urbi circumdatam cives fame laborabant, quemadmodum *Sabellicus* scribit. Negavi Utinum urbem, ut hodie visitur, a fundamentis structam, sed arcem, ut idem *Sabellicus* refert, militari opere solum communitam. Hæc omnia intra semialterum mensem facta nihil vetat. Montem autem *miræ* quidem *magnitudinis*, sed in modum *aggeris*, ut idem Otto Frisingensis habet, a tam numeroso exercitu comportatum fuisse non excedet idem mensium spatium, ut non inviti concedent, qui norunt, quam molitu difficilia opera militari, & extemporanea manu intra breve temporis intervallum confieri soleant.

Perstringis deinde meam dicacitatem, qua ridiculos eos esse scribo, qui Hunnorum partem, gente profligata, in Daciam delatam, & isthic, ne pro Hunnis agnoscerentur

rentur, Siculos se se appellavisse sentiunt. Rationes autem, cur hæc opinio ridicula mihi videatur, non affers. Cogor ingratiis meis, ne Lector mala me fide egisse putet, eum locum ex annalibus transscribere. Sic autem habet. *Ridiculum enim illud est, eam Hunnorum partem, cum in Transilvaniam delata esset, ne pro Hunnis agnoscerentur, Siculos se appellasse; quasi vero mutato nomini tantum momenti inesset, ut Gepidis, qui Daciam tum habebant, quive paullum ante cum iis prælio conflixerint, quidvis aliud, quam Hunni, quos sermo, vivendi norma, & amictus ab aliis discreverat, viderentur. Nec credibile etiam illud: exiguum hunc numerum, cum ceteri Hunni divulso in partes Attilano imperio ad Boryſthenem regnum sibi sub Dengizicho constituerent, ab reliquo Hunnorum corpore se abstraxisse, ut sponte Gepidarum, qui Hunnorum prius servi erant, imperio se subjicerent.* g) His si ea junxisses, quæ in tertia annalium parte circiter finem de Siculorum origine prolixius tractavi, non existimasses profecto domesticos Scriptores despicatui a me habitos, sed eorum lapsus solum detectos, & illustratos fuisse, quod tu

tibi

g) Pag. 179.

tibi impune licuisse non uno loco significaras. H)

§. IV.

De *Turcorum incunabulis.*

ID postremum Dissertationis tuæ caput fuit, in quo magis invidiam mihi conciliare pergis, quam opinionem, quæ Turcos eandem cum Hungaris gentem olim fuisse statuit, refellere. Meminisse te autem oprtuit Clar. Vir, me hunc locum ex aliorum sententia tractasse, atque ita in hoc argumento fuisse versatum, ut omne arbitrium penes Lectorem esse voluerim. Quod postquam finissem, in hæc verba subjungo: *hæc fere eorum sunt, qui hodiernos Turcos, veros olim Hungaros, sive Hunnos fuisse contendunt.* J) Hinc facile conjicere poteras, non meam hanc opinationem esse, sed eorum, ex quibus tractandam mihi sumseram; etsi non diffitear, magnopere

H) Tomum enim tuum III vocas *opus vel ex eo gratum futurum, quod palmares lapsus, antilogias, anachronismos domesticorum scriptorum retegat.* Tomum autem IV, *opus quam maxime necessarium ad illustrandam, ordinandamque, & suis numeris absolvendam avitam Hungarorum historiam, ut adeo, procul jactantia, ingenti domesticæ rei Literariæ damno futurum fuisset, si lucem non adspexisset.* J) Annal. Parte III. pag. 315.

me in hanc ſententiam inclinare, ut infra monſtraturus ſum.

Nunc præcipua ſolum, quæ mihi opponis, illuſtrabo: cetera enim minoris momenti, quæ huc attinent, in annalibus copioſe ſatis refelleram Contendis itaque Turcorum nomen antiquius eſſe, quam Hunnorum Attilanorum, idque Melæ, & Ptolemœi auctoritate. De Mela alias dixi, facile eum de tam remotis gentibus ſcribentem (ſcripſit enim, ut ſuſpicor, in Hiſpania) errare potuiſſe, dum Turcos inter Slavicos populos cenſuit. Neque ſatis exactum eſt, an Melæ lectio genuina ſit, quando Ptolemœus, dum de iisdem populis agit, te fatente *Cuſcos*, ex Volaterani autem ſententia *Tuſcos* habet. Hæc lectionum varietas jam ſatis momenti habet, ut merito dubitari poſſit, an non *Turci* in loco *Tuſcorum*, aut *Cuſcorum* irrepſerint; præſertim, quod Græci ſcriptores illius temporis non meminerint Turcorum, Sinici autem annales mentionem illorum primum injiciant circiter annum Chriſti DLI. ut in tertia annalium parte docui.

Tibi autem, Clariſſime Vir, Scriptores Sinici hoc in argumento pene nullo loco ſunt. *Profecto* (ſcribis) *annaliſtæ Sinici de Turcorum origine non multum admodum*

no-

nobis, hoc eſt, Græcis ac Latinis ſcriptoribus memoriæ prodere poterant, quum a Turcorum mox memoratis nativis cunabulis terque quaterque amplius diſtent in extremo Oriente, quam nos Europæi. K) Statuis autem nativas Turcorum ſedes *circa radices citerioris Caucaſi a Mæotide ad Volgam per centum amplius milliaria noſtra excurrentis,* L) eoſque inter populos Sarmaticos cenſes, quo nomine ſine dubio Sclavinos intelligis, qui Turcos ex Morduanis, Budinis, & Gelonis, qui tua opinione Slavi erant, conflatos alio loco doces. M) De ſedibus eorum poſtea. Hic illud mirari ſubit, quod Turcos inter Slavos cenſeas. Turcorum enim lingua nihil prorſus cum Slavica communionis habet, ut mihi, qui utriusque peritus eſt, doctiſſimus *Kollar* Bibliothecæ Auguſtæ Vindobonenſis Cuſtos primarius aſſeveravit. Cui, quoniam locus, & gratitudo poſtulat, tam multis me nominibus obſtrictum fateor, ut officiorum, quæ in me liberaliter prorſus impendit, meminiſſe quidem, reddere autem nunquam poſſim. Atque Viro huic, quoniam ab eruditis operibus hactenus in lucem editis, tum inſigni linguarum

K) Diſſert. tua apolog. pag. 23. L) Ibid. pag. 25. M) Ibid. pag. 23.

rum orientalium peritia ſingularem laudem conſecutus eſt, fidem opinor non derogabis. Contra autem non nihil affinitatis Turcico ſermoni cum lingua Hungarica intercedere aliqui exiſtimant. N) Fortaſſe ex vocum contentione aliquid lucis huic argumento affundam, ſi amicus meus, qui eam rem ſe effectum dare pollicitus eſt, fidem ſuam exſolverit. Quid ſi Morduani, Budini, & Geloni, ex quibus tu Turcos coaluiſſe arbitraris, Hunnicum genus fuerint, dabiſne id mihi, ut Turcos eandem cum Hungaris gentem in primordio fuiſſe concedas? certe *Andreas Huſztius*, Vir quidem heterodoxus, ſed tamen gravis, & doctus, in MS. ſuo, quod mihi ad manum eſt, laudatos populos non nulla conjectura inter Hunnorum reliquias cenſet. o)

De

N) Ne nihil dicam, iidem Turci, qui Perſidem occuparunt, alterum a Togrulbego Sultanum habuere cognomento *Arslan*, quod eorum lingua *Leonem* notabat, nobis autem hodie etiam dicitur *Orozlány*. Ita Abul Feregius Scriptor Arabs. Dynaſt. VII. o) In MS. §. XXII. De Morduanis ita habet. *Tertia Hunnorum una cum ejusdem nominis regione eſt Morduanorum, tribus, quæ in Moſcovia ſub Præfectura Nyniſgorodienſi degit. Diviſa eſt in duas ſpecies, Morduinos in ſpecie dictos, & Tchu-Vaſſios. Hujus poſterioris meminit Ptolemæus in tabula Sarmatiæ Aſiaticæ ſub nomenclatione Vaſſei. Tchu-Vaſſios quod attinet, Cshu, Tchu, Chiu, Cshi in lingua Hunno-Sarmatica idem eſt, quod filius, proinde Tchu-Vaſſii iidem ſunt, qui filii Vaſſiorum.* Paullum poſt §. XXIX, ubi

De hoc tamen nolim operosius tecum litigare: reverto ad Sinicos scriptores, qui Turcis multo alias sedes nativas, quam tu existimes, tribuunt, & ex Hunnis veteribus ortos perspicue docent. Non negas ipse, veteres Hunnos in Oriente ad Indos, Sereseque pertinuisse, itaque Sinis fuisse finitimos. Revoca tibi in memoriam, quæ ego ad annum Christi XLVIII in annalibus memoravi, nimirum, Hunnos in septentrionales & meridionales divisos esse: illos sensim ad Occidentem, ac deinde in Europam immigrasse; istos vero supra Tibetanum regnum Sinis finitimos, & clientelares factos. Hæc Scriptores Sinici, & maximam partem coævi: neque tu Clar. Vir quidquam contra opposueras. Id mihi persuadet, tibi omnia probari, quæ ego ex *Deguinesio*, non quidem, ut tu ais, Bibliothecario Parisiensi,

ubi reliquas Hunnorum species censet, ita scribit: *Ultra Tanaim ab Herodoto collocantur Budini, qui fuere ex Media oriundi - - - - - A Ptolemoeo nominantur Bodoni. Dominus de Strahlenberg nomen eorum ex voce Hungarica Budosás* (forte rectius Buidosás) *quæ peregrinationem denotat, derivat.* De Gelonis vero §. XXX sequentia notat. *Budinis accedunt Geloni. Eos quondam fuisse Græcos adserit Herodotus, id quod tamen verum esse non videtur. Rectius itaque concludimus eos quoque fuisse Medos e regione Geli, seu Gilaniæ oriundos. Quorum posteri hodiedum juxta maris Caspii litora australia degunt. - - - Ex nobiliore horum Gelonorum prosapia inter Hungaros superest illustris familia Gilaniana - - - .*

sed Censore, & Interprete regio linguarum orientalium eatenus exscripsi. Iidem porro Scriptores Sinici, ac nominatim Ven-hien-tum-kao Hunnos meridionales in varias tribus discretos docent, quarum præcipuæ fuerint Geugenorum, seu Avarum, ac deinde Turcorum, quibus id nomen a monte *Turc* deinceps adhæsit. Horum nativas sedes, & incunabula locant ad montes *Altai*, ubi Irtischus fluvius ortum habet, circiter annum Christi DLI. Cur hoc loco iisdem Scriptoribus fidem non habes, quibus antea, dum de primis Hunnis agerent, nihil prorsus opposueras? Quodsi autem incunabula ad *Altai* montes habuere, haud ita longe, quod tu tibi persuades, ab Simis remoti erant, ut intuenti mappam Geographicam liquet.

Vides igitur Clar. Vir, Turcos, si quam fidem historici Sinenses, & coævi, & Turcis viciniſſimi merentur, ex Hunnis meridionalibus ortos, & condito ad annum Christi DLI imperio latissime fama deinceps cognitos fuisse. Post Sinas Græcis innotuerant ante annum Christi, ut reor, DLXIX; nam hoc anno Justinus II. Zemarchum ad Turcos legatum miserat. Hic tu Vir eruditissime ita subdis: p) *Tunc igi-*

p) Dissert. tua apolog. pag. 27.

igitur Turci boreales Sarmatæ primas in oriente ſedes occuparant, tum Sinenſibus finitimi redditi, abs iis cominus cogniti fuerant. Quæro, unde Turcos huc delatos exiſtimes? utique ex nativis ſedibus, quas in citima Caucaſi ora ad Mæotidem alias locaveras. Atqui ſatis perſpicue ad fidem hiſtoricam tibi commonſtravi, Turcos incunabula ſua ad montes *Altai* Sinis ab Occidente finitimos habuiſſe. Id quod ex Græcorum Scriptorum ſilentio confirmatum eo. Turcorum enim memoria apud Græcos ante Menandrum, quod ſciam, nuſpiam injicitur: credibile autem non eſt, ſi Turci in primordio citimas Caucaſi radices a Mæotide ad Volgam tua opinione coluiſſent, eos tanto temporis intervallo Græcis non fuiſſe cognitos, qui ſolo Euxino mari ab iis diſtarent, immo finitimi quoque Turcis eſſent. Nam Zichiam, Abaſgiam, Caſachiam, & Lazicam, regiones circum Ponti Euxini oras, & Caucaſi radicem ſitas Græci ſuo imperio obnoxias habuere. Mirum profecto fuiſſet, Turcos, qui haud procul inde ſedes nativas habebant, finitimis Græcis tam diu ignotos fuiſſe. Igitur ſcribendum tibi potius fuit, Turcos ex regnis, quæ Sinis proxima ſunt, ſenſim ex Oriente in Occidentem ad mare Caſpium, & porro

de-

delatos esse, ut ex Sinicis annalibus semel, atque iterum docui.

Zemarchum, de quo prius, altera deinde legatio excepit, a Valentiniano obita sub Tiberio Constantino ad annum Christi DLXXIX. Hactenus feliciter satis Turcorum res se dabant, quoad anno DLXXXV in orientales, & occidentales divisi, suos seorsim Chanos, seu Imperatores habuere. q) Orientalibus res secundæ longissimo tempore erant, ex quibus, si qui in Asia hodie sunt, ut probabiliter sunt, Hungaros originem trahere multa omnino persuadent. Occidentales vero Turci cum varia fortuna acti domesticis turbis sæpe agitarentur, facta pedetentim secessione, versus mare Caspium circiter annum DCXIX deferuntur. r) Hic stabilita, & propagata ditione, Heraclio adversum Persas suppetias tulere anno Christi DCXXVI, ut Theophanes memorat. s) Hæc cum ex Scriptorum auctoritate, tum ordine chronologico tam certa sunt, ut, si iis fidem abrogare velis, eadem opera fidem omnem historicam convulsum eas. Abhinc in varias tribus pro locorum, & Principum varietate Turci divisi sunt; cujusmodi Chazaros, Uzos, Cababa-

q) Differt. prævia ad III annalium partem. pag. 299. r) Differt. prævia ad III annal. partem. pag. 300. s) Annalium parte II pag. 245.

baros, & Patzinacitas fuiſſe omnes norunt, qui in Græcanicis Scriptoribus, præſertim Conſtantino Porphyrogenita hoſpites non ſunt.

Hæc præfari neceſſe habui, ut eorum opinationem, qui Hungaros, & Turcos eandem in primordio gentem fuiſſe ſentiunt, magis perſpicuam tibi facerem. Non eſt autem, cur ad nomen Turci cohorreas, aut iſthinc me popularium etiam invidiæ exponas. Qui recte, & ſine partium ſtudio vident, vident omne hominum genus ex eodem limo, & ab uno ſtipite profectum. Nunc ad rem ipſam.

Turcos ex Hunnis ortos, & ab *Altai* montibus intra Volgam & Tanaim ſenſim delatos, tum in varias tribus diſcretos eſſe, partim ex Sinicis Scriptoribus, partim ex Conſtantino Porphyrogenita liquet. Idem Turcos hos a Patzinacitis victos ſcribit; eorumque partem unam in Tranſilvaniam veniſſe, & quibus Arpadus omnium primus Dux fuerit, alteram vero partem verſus Perſidem delatam. Audi Clar. Vir, quem in modum rationem ducam. Cum tam exoſi tibi Turcæ ſint, non quæro, verene Turci fuerint, de quibus Porphyrogenita loquitur, an contra: id tamen certum eſt, quos Porphyrogenita Turcos vocat, quive in Tranſilvaniam delati ſunt,

ve-

veros Hungaros fuiſſe: igitur aliam quoque partem, quam Porphyrogenita Turcos etiam nuncupat, & verſus Perſidem delatam ſcribit, oportuit veros Hungaros fuiſſe. Hoc profecto non negabis; quoniam ab iis, qui in Tranſilvaniam venere, ad illos, qui verſus Perſidem abierant, crebro legationes miſſas idem Porphyrogenita teſtatur. Jam ſi illi, qui verſus Perſidem conceſſerant, Ottomanicum Imperium Conſtantinopoli fundarunt, concedere mihi quoque debes, Turcos Ottomanos eandem cum Hungaris gentem in primordio fuiſſe. Itaque hoc unum reſtat, ut evincam, ab illa Hungarorum parte, quam Porphyrogenita verſus Perſidem abiiſſe refert, Ottomanicum imperium fundatum eſſe. Deduxi id argumentum prolixe in annalibus, hic in Lectoris gratiam compendiaria via repetam.

Eam partem, quam Porphyrogenita Turcos quidem vocat, re autem ipſa eorum Hungarorum, qui in Tranſilvaniam abierant, pars fuere, & verſus Perſidem delati, ſuppetias tuliſſe Saracenis *Nicephorus Bryennius* luculentiſſime teſtatur. r) Hujus locum integrum in prævia Diſſertatione ad tertiam annalium partem adduxi,

r) Lib. I. rer. Turcic. Num. VII.

xi, quo Lectorem, ne prolixior ſim, relegatum cupio. Hic, quæ maxime ad rem præſentem faciunt, exſcribam. *Muchum* (erat is Saracenorum tum Princeps) *optimum factu eſſe duxit, legatione ad Principem Hunnorum miſſa ſocias illius in auxilium copias petere - - - . Brevi rediere compotes auxiliariorum tria millia ducentes ſecum ſub ducibus duobus Tangrolipe, & Mucaleto - - qui trajecto Araxe per pontem - - - in Perſidem pervenerunt.* Confer hæc cum Porphyrogenita, qui perhibet, partem Turcorum, qui a Patzinacitis victi ſunt, verſus Perſidem ad Araxem fluvium conceſſiſſe, videbis procul dubio, eorum, qui in Tranſilvaniam delati ſunt, hoc eſt, Hungarorum partem fuiſſe. Poſtquam illorum ope Pyſſirius Babyloniæ Rex victus fuiſſet, ſeceſſionem fecere a Saracenis propterea, quod ſibi, ut petebant, pontis ſuper Araxem cuſtodia tradita non eſſet. Abhinc inſeſſa Carbonitide ſolitudine, vim Saracenorum diu propulſarunt, quoad confluentibus undique ad ſigna populis, exercitum L millium conflaſſent. Aperto deinde marte cum Muchumeto congreſſi Saracenos fundunt. A victoria populares ſuos, paucis domi relictis, per pontem Araxis traduxere, & Perſiam omnem

ſub

ſub jugum miſerunt. In hanc ſententiam Bryennius.

Male igitur, ne dicam maligne, mihi, aut potius Bryennio in hæc verba objicis: u) *Tuus ergo Nicephorus Bryennius lapſus primo eſt, quod Muchaletus cum Strangolice - - - in auxilium Saracenorum Perſiæ Principi tria ſolum millia adduxerit: neque enim credi facile queat, tria millia univerſam Perſiam debellato Saracenorum exercitu iis eripuiſſe - -.* Nuſpiam Bryennius Perſiam omnem a tribus his Hungarorum millibus ſubjugatam eſſe ſcribit: ſed conflato primum L millium exercitu, tum popularibus ſuis pene omnibus per Araxis pontem in Perſiam traductis. Male deinde objicis in hæc verba: x) *ſecundo deerrat Nicephorus Bryennius, quod, etſi conſtanter auxiliares illos Turcos nominet, minime autem Hunnos, tamen ab Hunnorum Principe ſubmiſſos fuiſſe memoriæ prodat.* Cum ex dictis manifeſtum ſit, eos, qui a Porphyrogenita Turci nuncupantur, re ipſa Hungaros, itaque Hunnos quoque fuiſſe. Fruſtra autem tibi perſuades, hos, qui Saracenis auxilio venerant, Turcos quidem, Principem tamen eorum Hunnici fuiſſe generis. Bryennius enim id

u) Diſſert. tua apolog. pag. 29. & 30. x) Ibid.

id discrimen non inducit: tum arduum est creditu, ut Princeps, si quidem Hunnus erat, Turcos servitute sibi obnoxios per pontem Araxis ad occupandum regnum omnino opulentum in Persiam ire siverit, sibi contra, suisque Hunnis terræ portionem ad Caucasum valde sterilem, neque ita, ut Persia fuit, ambitu porrectam servarit. Dum autem Bryennii fidem elevare niteris ex eo capite, quod scriptor sit *neque admodum vetustus, neque satis vulgatus*, te ipsum Clar. Vir jugulas, si modo auctoris tui mutili meminisse velis, auctoris certe non admodum vetusti, quippe qui seculo XVII floruerit, neque unquam, nisi per te vulgati. Ceterum Bryennius cum Alexii Comneni gener, & Cæsar fuerit; Scriptor & publicæ auctoritatis, & seculi XII fuit. Exstare vero illum in collectione Scriptorum Byzantinorum plerique norunt.

Manet proinde verum, Turcos, qui Persidem sub jugum miserunt, eorum partem fuisse, qui Constantino Turcæ dicti, & in Transilvaniam delati Pannoniam occuparunt, itaque verissimos in primordio Hungaros fuisse. Constat autem hos ipsos, quos Porphyrogenita Turcos vocat, quique Persiam sibi armis asseruerant, postquam circiter annum Christi M. CCC. VIII. a Mogolibus victi

in montes Asiæ minoris se recepissent, auctis iterum viribus vicinas ditiones infestis sæpe armis petiisse, quoad trajecto Bosphoro, subjugata Thracia, captaque Constantinopoli, Ottomanicum Imperium fundassent. Quæ luculenter, & eruditissime complexi sunt *Franciscus Borgias Kéri*, y) & *Nicolaus Schmitt*, z) Viri e Societate mea cum severioribus, tum politioribus litteris mirifice exculti. Atque hic rerum etiam hodie potiuntur, tametsi ob admistos Saracenos, Persas, Arabes, ceteraque, quas vicerant, gentes, moribus, & lingua a veteribus Turcis, hoc est, primævis Hungaris magnopere omnino discrepent.

Hæc habui eruditissime Vir, quæ ad Dissertationem tuam apologeticam reponerem. Etsi, ut in principio insinuavi, prolixius, quam epistolæ modus ferat, tamen, partim ut tua, quæ attuleras, illustrarem, partim firmarem etiam mea, necesse fuit, ut latius, quam voluerim, excurrerem. Vale eruditissime Vir. Mihi calamus ad sponsam, quam Andreas Hierosolymitanus filio suo ex Græcia advexit, traducendus est. Quæ res aliquanto hilariorem in scriptore animum poscit, quam lites

y) In Epit. Hist. Byzant. z) Hist. Impp. Ottoman. ab anno Christi MCCCC LI. ad annum M DCC XVIII.

lites noſtræ, in quarum tractatione ſæpe evenit, ut alter alterum, etiam cum minime putarit, lædat. Itaque ſi quid a me dictum fuit, quo Tibi, aut honori tuo per me derogatum putes, illud indictum eſto: petoque a te majorem in modum, ut, qua es humanitate, me inter amicos tuos aliquo loco eſſe velis. Vale iterum. Dabam Budæ IV Octobris M.DCC.LXII.



DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
Z104 gyarapodási napiszám
1992

Jeszenszky Kálmán
könyvei

756051

756051

756051